This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

AH 41T1 J

Harvard Depository
Brittle Book

Digitized by Google

5625
Kleiner

Theological School
IN CAMBRIDGE.

The Gift of
COL. BENJAMIN LORING.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RECENTIORES DE AUTHENTIA EVANGELII MATTHAEI QUAESTIONES RECENSENTUR ET DIJUDICANTUR; SIMULQUE EXPONITUR RATIO EARUM QUAESTIONUM APOLOGETICA.

COMMENTATIO CRITICA THEOLOGICA

IN CERTAMINE LITERARIO CIVIUM

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

DIE IV. M. JUN. MDCCCXXXI.

AB ORDINE THEOLOGORUM SUMME VENERABILI

PRAEMIO REGIO ORNATA.

SCRIPSIT

RUDOLPHUS ERNESTUS KLENER

GOTTINGENSIS.

Ἔπειτα δ' μακρὸς κ' ἀναρίθμητος χρόνος
φύσει σ' ὄφελε, — — —

SOPHOCL. AJAX.

GOTTINGAE,
APUD RUDOLPH. DEUERLICHIUM.
MDCCCXXXII.

DIVINITY SCHOOL LIBRARY. HARVARD UNIVERSITY

Digitized by Google

SUMME VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS DE HAC COMMENTATIONE JUDICIUM:

"Longe superavit aemulos tertiae Commentationis auctor. Is enim non solum probe intellexit verum propositae quaestionis sensum, sed etiam omnia, quae ad solvendam quaestionem pertinere viderentur, tam accurate et diligenter administravit, tamque subtiliter atque ornate explicuit, ut, quamvis aliter de re ipsa judices, tamen non laudare non possis cum eruditionem auctoris promtam, tum ejusdem in argumentando dexteritatem, denique in arte critica haud mediocrem peritiam. Potuisset quidem auctor brevius nonnulla exponere, ac debuisset sane; nec satis cavit, ne aliena immiscerentur. Compensavit vero, quae in illa parte peccavit, eo, quod nihil omisit, quod ad accuratam rei expositionem aliquo modo facere videretur. Latinus sermo satis quidem emendatus est, at non castus; ubi vero elegans esse laborat, obscurus fit, atque a latinitate deflectit.

Rationibus omnibus religiose perpensis Ordo decrevit, ut ea Commentatio, quae sua fecit verba Sophoclis: ἄπαντ' ὁ μακρὸς κ' ἀναρίθμητος χρόνος rel. victrix ac praemio regio dignissima renuntiaretur; hac tamen lege, ut, priusquam typis excuderetur, latino sermoni lima adhiberetur."

Digitized by Google

TRIUMVIRIS

SUMME VENERABILIBUS

THEOPH. JACOBO PLANCK

ORDINIS GUELPHORUM EQUITI
THEOLOGIAE DOCTORI EJUSQUE IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
PROFESSORI PRIMARIO
BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS
SUPERIORIBUS
MONASTERII BURSFELDENSIS ABBATI
ECCLESIARUM PRINCIPATUS GOTTINGENSIS SUPERINTENDENTI
GENERALI

PARITER

DAVIDI JULIO POTT

ORDINIS GUELPHORUM EQUITI
THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI
BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE A CONSILIIS ECCLESIASTICIS
MONASTERII MARIAEVALLENSIS IN DUCATU BRUNSVICENSI POSITI
ABBATI
THEOLOGIAE IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO
SEMINARII REGII HOMILETICI DIRECTORI

ET

CHRIST. GODOFR. FRIDERICO LÜCKE

THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI
ILLIUSQUE IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO
DOCTISSIMO SOCIETATIS LATINAE EXEGETICAE MODERATORI

Digitized by Google

PRAECEPTORIBUS FAUTORIBUSQUE

PIE COLENDIS

HUNCCE LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

VENERABUNDUS AUCTOR.

Digitized by Google

Quaestionem Amplissimo Ordini Theologorum Academiae Georgiae Augustae proponere placuerat cum recentem tum animum juvenilem ad anquirendum vehementer excitantem atque alentem; postulaverat nimirum, ut

> *„Recentiores de origine sive authentia evangelii Matthaei quaestiones adcurate explicarentur et dijudicarentur, simulque doceretur, qualis esset earum quaestionum ratio apologetica."*

Occasionem ergo suppeditatam duxi quam opportunissimam, vires meas quantulascunque in exaranda hac disquisitione experiendi, dum M. Tullii verba: „Cujusvis hominis est, errare; nullius nisi insipientis, in errore perseverare", paululum nos consolarentur.

Libertate ecclesiae evangelicae recuperata, authentiam plurium librorum N. T., temporum imprimis Apostolicorum Canonisque historiae perscrutatione diligenter doctissimeque instituta, in dubium revocare conatos fuisse VV. DD., neminem fugit. Nostrum autem ad propositum ea tantum, quae de authentia evangelii Joannis peracta leguntur, haud levi momento aestimaverim. Nam, si quid videmus, Bretschneideri Cl. liber: „Probabilia de evangelii et epistolarum Joannis, apostoli, indole et origine" (Lips. 1820.) in causa, etiamsi remotiori, nobis esse videtur, cur recentiores de authentia evangelii Matthaei quaestiones excitatae in lucem prodierint. Quum enim authentia evangelii Joannis, libro laudato acerrime impugnata, victrix evasisset, simulque in his ipsis disputationibus exacte ventilassent viri docti, qualis sit indoles ac natura evangelii ab Apostolo literis consignati, et quaenam intercedat differentia in scriptore, qui rebus enarrandis ipsis spectator interfuerit, et eo, qui demum ex ore hominum accepta referat, aut scriptis usus non ex penu suo scribat, dubitationes, contentione evangelii Matthaei cum libro Joanneo facta, moverentur necesse paene fuit. Mirum ergo in modum argumentandi ratio a Bretschneidero in l. l. ad authentiam evangelii Joannis subvertendam, partim ex ev. Matthaei petita, nunc jam vice versa contra authentiam

Digitized by Google

hujus evangelii ex illo assumta apparet, ita ut Joanneum nostrum typus evangelii originis vere apostolicae firmissime constituatur [1]).

Jam vero paucis persequi juvat, quaenam VV. DD. scripta, ad illas de authentia ev. Matthaei quaestiones pertinentia, (quae eadem firmiori simul esse possunt documento, quantis gaudeant incrementis studia theologica recentioribus praesertim temporibus in patria nostra,) in publicum data sint. Primo commentarii nostri authentiam paucis tentavit I. Casp. Orellius V. eruditiss. in l. Selecta Patrum Eccl. Capita ad Εἰσηγητικὴν sacram pertinentia, fascic. II. (Turici. 1821, 8 mj.) p. 10; [2]) deinde L. Usterius in libello egregio: Commentat. crit., in qua ev. Joannis genuinum esse ex comparatis IV. evv. narrationibus de coena ultima et passione I. C. ostenditur. (Turic. 1823, 8.) Qui quum proprie dubitationum partem, a Bretschneidero l. l. prolatarum, refutare sibi constituisset, indole tamen evangelii Joannis sagacissime indagata adductus facile eo est, ut pl. ll. indirecte quidem afferret argumenta, ad authentiam evangelii Matth. addubitandam satis idonea.

Dav. Schulzio interea, Viro S. Ven., Vratislaviensi, dubitationes de authentia ev. Matth. publici juris fecisse debetur, in l. Die christl. Lehre vom heiligen Abendmahl (Lips. 1824) p. 182. 261. 267. multisque aliis locis, imprimis vero in additam. p. 302 sqq. Prolatis enim observationibus hisce laude dignissimis, complures sententiam illius defendere aut contra disputare adorti sunt. In magno autem VV. DD. de origine potissimum evangeliorum synopticorum dissensu non potuit non fieri, ut alii aliter pro aut contra perquam diverse dissererent. Schulzii verba probarunt Mauritius Roedigerus in scripto: Symbolae quaedam ad N. T. evangelia potissimum pertinentes. (Halis Sax. 1827, 4.) p. 8 sqq. [3]), Schulthessius S. V. in promtuario: Biblisch-exeget. Repertor. von K. u. H. Rosenmüller T. II. p. 172. (Leipz. 1824) idemque in diario: Theolog. Annalen v. L. Wachler und Dav. Schulz T. II. 1823. Decembr. p. 1117 sqq. Praeterea, etsi alia argumentandi ratione adhibita, authentiam ev. Matth. in dubitationem vocarunt Chr. Gottl. Wilkius in l. Winer's Zeitschrift f. wissenschaftl. Theologie fasc. I. nr. 3. „Ueber die Parabel von den Arbeitern im Weinberge" Matth. 20, 1-16 p. 74 sqq. (Sulzbach 1826). (Censura l. l. legitur in Zimmermanni Allgem. Kirchen Zeit. 1828, T. I. Lit. Bl. nr. 23) et Fr. Fischerus in l. Einleitung in die Dogmatik, etc. (Tübingen, 1828. 8.) p. 115 sqq.

---

1) Itaque de Wettii V. illustriss. verba: (in l: Lehrbuch der hist - krit. Einl. P. II. p. 198. ed. 2. Berlin 1830) „authentiam ev. Joannis non extra omnem dubitationem positam esse," reprobanda censemus. Vid. quae doctiss. opposuit H. E. Ferd. Guerikius in l. Beiträge zur histor. krit. Einl. ins N. T. (Halle, 1828) p. 60 sqq.

2) Verba Orellii huc spectantia reperiuntur recusa in l. Paulus Exegetisch. Handbuch T. I. P. 1 p. 60 sq.

3) Vid. Censorem Symbolarum anonymum: Zimmermanns Allgem. Kirchen Zeitung an. 1829. Lit. Bl. nr. 47, qui vero a Roedigero observatis nihil quidem opposuit, sed assentitus strictim illa modo retulit.

Digitized by Google

quorum sententias infra explicatas dijudicabimus. Porro de Wettius, Vir eruditiss. in l. not. 1. l. p. 177 sqq. authentiam evangelii nostri impugnavit dubitanter et caute quidem, at judicio usus vere haud spernendo; (cui in universum assentitur Anon. in censura l. l. vid. Hallische allg. Lit. Zeit. an. 1828. T. II. nr. 187. col. 646).

Ven. Schulzii sententiam repudiare studuerunt K. G. W. Theilius in diario: Winer und Engelhardt neues krit. Journal. T. II. fasc. 2. p. 181 sqq. fasc. 3. p. 346 sqq. et A. L. Chr. Heydenreichius V. S. in eodem diario T. III. fasc. 2. p. 129 sqq. et fasc. 4. p. 385 sqq. (1825) idemque in l. Zeitschrift für Predigerwissensch. von Heydenreich und Hüffel. T. I. fasc. 3. p. 10 sqq. (Marburg, 1828.) Porro Anon. in Wineri diario critico modo l. T. I. fasc. 3. p. 346 E. G. Bengelius b. defunctus in l. Archiv für die Theologie. T. VI. fasc. 3. p. 572 sqq. (Tübingen, 1824.) C. F. A. Fritzschius in Prolegom. ad Comm. in Ev. Matth. (Lips. 1826) p. XX sqq. Eandem denique tuetur sententiam H. A. Schottus Cl. in l. Isagoge historico-critica in libros novi foederis sacros (Jenae. 1830, 8.) p. 73 sqq. Laudasse etiam juvat l. G. Müllæri libellum: „Ueber die Aechtheit der 2 ersten Capp. des Ev. nach Matth." (Trier, 1830. 8.) vid. praefat. et al. ll. L. Pelti de evangelio nostro sententiam, in l. Epistolae Pauli ap. ad Thessalonicenses perpetuo illustratae commentario (Gryphiswaldiae 1830, 8. Prolegom. p. XXXI perpaucis enuntiatam, infra. §. 44 et 54 memoravimus. Contra de Wettii V. S. dubitationem insigni sane eruditione disputavit Guerikius in l. not. 1. laud. p. 23 sqq. (Cui assentitur Anon. in Leipz. Lit. Zeit. an. 1829. nr. 154 col. 1226 sqq). Imprimis vero laudanda sunt quae Guerikii observationibus doctiss. opposuit Fr. Lückius, praeceptor pie summeque mihi colendus, in Götting. gelehrt. Anzeigen an. 1830. nr. 48. p. 474 sqq. Nuperrime Olshausenius quoque in l. Biblisch. Commentar über sämmtliche Schriften des N. T. T. I. (Königsberg 1830, 8.) recentiores de authentia evangelii nostri quaestiones respexit et hypothesin (in introduct. p. 8. 9. et §. 4.) amplexus Guerikianae consimilem, Schulzii observationes, supra citatas, (in introduct. p. 13. not. et in Comm. p. 283. not. p. 535. et al. reprobavit. Ceterorum, si qui memoratu adhuc digni erunt, scriptorum suo loco faciemus mentionem.

Quum recentiorum harum quaestionum una quaeque peculiariter in hacce dissertatione plane explicari apteque dijudicari ob loci angustias nequeat, altera vero ex parte plurium VV. DD. sententiae maxima cum utilitate facile componi possint atque conjungi, totam quaestionem adornare aggressi sumus tripartitam, ita ut sectione prima agatur de argumentis externis sive historicis et de iis rebus, quae aptissime illis subjungantur; sectione secunda de argumentis internis, et tertia denique disceptetur, qualis sit earum quaestionum ratio apologetica.

Digitized by Google

SECTIO I.

§. 1.

A quaestione de origine sive authentia ev. Matthaei nunc eruenda non modo haud alienum, sed necesse potius esse putavimus, Matthaei ap. vitam, quoad ex traditione licet, paucis adumbratam, praemisisse. Vehementer interea dolendum, tam pauca de Nostro memoriae esse mandata atque haec ipsa maximam partem certae historiae adminiculo carentia. Mirari ergo non possumus, tanta caligine Apostoli vitae vetustissimis jam temporibus offusa, Hieronymum, antiquitatis perscrutatorem sagacissimum, nil habuisse, quod de hoc evangelista memoriae prodiderit [1]).

Ex fonte primario, eodemque vetustissimo, evangeliis tribus synopticis haurire licet, quanquam et his vitae Nostri parum lucis affunditur. Quae vero praeterea in scriptis Patrum aliorumque scriptorum eccles. reperiuntur, partim evv. canonicorum relata contestantur, partim ex traditione, ore facta, seriori et eo ipso minus certa promanarunt.

Quo anno et qua urbe natus sit Noster, non constat. Perhibet quidem Nazaretham vicum natalem traditio satis incerta [2]), cui quum fides historica a VV. doctis merito denegetur, evinci solummodo potest, Matthaeum, sicuti reliquos interioris admissionis Jesu discipulos, fuisse Galilaeensem. Quod ad ll. Matth. IX, 8. Marc. II, 14. Luc. V, 25. attinet, persuasum nobis habemus, unum idemque ea continere factum; quo concesso, jure concluditur, Matthaeum ap. duobus insignitum fuisse nominibus, apud Marcum enim et Lucam Levis nomen occurrit [3]). A Marco Alphaei filius compellatur, verumtamen probabile

1) Hieron. de vir. illustr. c. III. vid. Ohlshausen in lib. praeclaro: Die Aechtheit der vier canonisch. Evv. (Königsberg 1823) p. 18.

2) Vid. Cave historia literaria Vol. I. p. 13 sub. l. c, ed. noviss.

3) Multum sane disputaverunt VV. DD. an unus idemque duobus his nominibus vir subintelligendus sit; (cf. de Wettii Einl. ins N. T. p. 174. et kuinoel ad ll. cc.) Hodie autem plurimi recte ei favent sententiae, qua statuitur, nostrum, duodecim Apostolis adscriptum, nomen assumsisse: *Ματθαῖος* (מַתִּתְיָהוּ ex verbis מַתָּן et יְהוֹ conflatum = Dei donum i. q. Theodorus), quod Pauli ap. illustrari potest exemplo. Adversatur quidem Heydenreichius in diario l. T. III. fasc. 4. p. 398 sed male, opinor; quamvis jam ex Veteribus nonnulli, ab ejusdem sententiae partibus steterint. Vid. Fabric. Cod. Apocr. N. T. P. II. p. 636. not. a. ed. 2.

Digitized by Google

non est, Alphaeum illum Jacobi fuisse patrem, versimile, virum huic homonynum. Sola Matthaei ap. electio in evv. synopticis aliquid fusius legitur. Dum scilicet portitoris munere Capharnaumi in telonio Romano fungeretur, a Domino vocatus in numerum XII App. receptus est; secundum totius vero narrationis contextum Matthaeus Salvatori jam antea innotuit et sic invitatio ad comitatum interioris admissionis (quam verbo ἀκολουθεῖν innuit scriptor) melius explicatur. Tetigisse autem sufficiat sententiam eorum, qui ex convivio statim post vocationem Apostoli celebrato et a Luca δοχὴ μεγάλη apellato, evincere studuerunt, Matthaeum virum fuisse opulentiorem. Eorum, quae postea in Salvatoris comitatu patraverit Noster, nulla proh dolor fit mentio, quid? quod in Joannis evangelio Matthaei ne nomen quidem occurrit. Ex locis tantummodo, ubi οἱ δώδεκα commemorantur, colligas licet, et Matthaeum rerum illic narratarum participem fuisse. Quae quum ita sint, nobis saltem firmatur, nostrum non tantopere inter duodecim eminuisse, quantopere e. g. Petrum et Joannem. Improbandam vero censemus sententiam eorum, qui Matthaeum modestiae causa de se reticuisse contendant; quod si statueris, non illustratur, qua de causa ceteri N. T. scriptores nil amplius de Nostri memoria prodiderint.

Paucis denique respiciamus ad itinera, a Nostro facta[4]). Matthaeum quoque Magistri praeceptum evangelii praedicandi studiose observasse, multi veteris ecclesiae scriptores confirmant. Admodum vero de terrarum, quibus evangelizarit, tractibus dissentiunt. Eusebio teste (h. e. III, 24) antea quidem ev. praedicaverat Judaeochristianis Palaestinensibus, neque vero annum, quo peregre profectus sit, neque gentes, quas adierit, accuratius investigando descripsit, verbis usus indefinitis: ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ' ἑτέρους ἰέναι. [5])

Scriptores aevi demum serioris itinera exactius definierunt: Socrates h. e. L. I. c. 19. Rufinus h. e. L. X. c. 9. Isidor. Hispal. de vita et morte sanctorum c. 67, in diversissimis terris ev. illum praedicasse perhibent[6]). Nec non in Aethiopiae urbe Naddaber, secundum alios in urbe Arabica Beschber martyr obiisse et Hierapoli in regno Parthico sepultus esse dicitur. Interea in hisce omnibus fides historica perquam desideratur, sunt enim seriorum modo scriptorum relata saepissimeque inter se repugnantia.

---

4) Cf. Fabric. Cod. Apocr. P. II. p. 636 sqq. et Cave Antiq. Apost. p. 553 sqq.

5) Neque vero etiam in Actis App. et Pauli epistolis legitur, hunc Hierosolymis aut alibi nostrum convenisse; quin mirum in modum in Actis Apost. evangelicae Matthaei ap. in Palaestina praedicationis, quam laudat veteris ecclesiae traditio, nec vola nec vestigium reperitur.

6) Rejecta vero Socratis relatione, qua Noster et Macedoniam tendit, ex ceterorum narrationibus certius saltem conjeceris, Matthaeum quoque (quod idem de Bartholomaeo et Thoma constat) in Orientem ad ev. praedicandum se satis mature contulisse, quod Actorum App. silentio paululum comprobaretur, et ad reliqua de Matthaeo nobis tradita melius quadraret.

Digitized by Google

§. 2.
DE AUTHENTHIA EV. MATTH. EXTERNA.

Authentiam ev. Matth. externam perscrutaturi in eo versamur, ut perlustremus et anquiramus, quid vetus ecclesia de evangelio illo censuerit memoriaeque prodiderit. Testimonia autem huc spectantia, duplicis illa generis, dupliciter esse distribuenda, inter VV. DD. constat. His annumerantur vestigia, quae probant, scriptorem antiquum aliquem Matthaei ev. verba adhibuisse non diserte quidem, sed ita tantum, ut ex sententiae similitudine verborumque congruentia colligere possimus, evangelium, de quo agatur, illa jam exstitisse aetate. Atqui diligentiori eorum investigatione commode supersedere nobis liceat, ablegantibus lectorem benev. ad praeclara Olshausenii studia[1]), praesertim quum haecce testimonia recentioribus de authentia ev. Matth. quaestionibus non arcte sint implicita. Praeterea tandem hac ex parte nemo authentiam evangelii nostri addubitaverit; etenim, fac, haec vestigia, in scriptis PP. Apostolicorum obvia, non exstare, authentia evangelii nostri parum eo infringeretur. Jam vero testimonia de eodem aeque dilucida, quin clariora sunt exhibita, quam de evangelio Joannis. Cf. Barnab. epist.[2]) c. 4. c. 5. c. 7. c. 19. Similia occurrunt vestigia apud Clementem Rom.[3]), Polycarpum[4]) atque Ignatium, quae vero, veluti modo laudata, maxima ex parte non tam certa sunt, ut ne ex traditione, ore facta, promanare potuerint. Cf. Clement. Rom. epist. I. ad Cor. c. 13 c. 46. Polycarp. ep. ad Philipp. c. 2. c. 7. Ignat. ep. ad Smyrn. c. 1. c. 6. ad Polycarp. c. 2. ad Ephes. c. 19. Interea si cui asserere placuerit, locorum citatorum e Matth. evangelio assumtum esse nullum, nec Patres apost. ev. nostrum usurpasse, certe hoc non foret argumento, Matth. evangelium tunc temporis nondum exstitisse; talis enim colligendi ratio a temporum illorum vetustissimorum conditione ac natura omnino abhorret[5]). — Justinum M. vero evv. canonicis fuisse usum, praeeunte Dan. Fr. Schützio, luculenter probavit Winerus Cl.[6])

§. 3.

Testimoniorum disertorum, ut ad haec transeamus, ante saeculum secundum, dum Canon N. T. jam formaretur, exstant nulla[1]). Quod vero ad universam veteris ecclesiae traditionem attinet, quatenus eam subsequi licet, uno omnes ore affirmant, *Matthaeum apostolum evangelium scripsisse, eundemque Matthaeiani nostri esse auctorem.*

---

1) l. l. p. 407 sqq. cf. praeterea quos laudavit Schottus l. l. p. 25 not. 3. — 2) Locus saltem c. 4. ex Matthaei evangelio arcessitus esse videtur. Vid. Schott l. l. p. 27 not. 3. — 3) Vid. Pauli Conserv. I. p. 160. — 4) Vid. Olshausen l. l. p. 93. 221. 397 — 400. — 5) Vid. Hemsen Authentie der joh. Schriften p. 7. — 6) Vid. notit. liter. ap. de Wettium l. l. p. 103.

1) Quanti testimonia Patrum historica aestimanda sint ac ponderanda, erudite rectoque statuit Guerike in l. l. p. 23 not. 44.

Digitized by Google

Omnium vetustissimum Papiae, Hierapoli, urbe Phrygiae, episcopi, testimonium laudatur, ab Eusebio (hist. eccl. III. 39. ed. Zimmermann. p. 214) verbis exhibitum hisce: Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο (συνετάξατο)· ἡρμήνευσε δ'αὐτὰ ὡς ἠδύνατο (ἦν δυνατὸς) ἕκαστος. Floruit ille initio saeculi II. et ab Irenaeo Joannis apostoli auditor, Polycarpi sodalis atque ἀρχαῖος ἀνὴρ appellatur. [2]) Retulit illa vero Papias prout ex ore Joannis Presbyteri, viri apostolici, (forsan e numero septuaginta Salvatoris discipulorum, vocatur enim τοῦ κυρίου μαθητὴς) compererat [3]). De vindicanda hac relatione et quid jure inde sit colligendum, infra videbimus.

Secundo loco, quod ap. Eusebium exstat (h. e. V. 10. p. 335. ed. c.) testimonium afferatur Pantaeni, quippe qui medio saec. II., Eusebio teste, scholae Alexandrinae catecheticae ante Clementem Alex. praefuit, eruditione egregia ceteris omnibus antecellens, Stoicaeque philosophiae praeceptis atque institutis imbutus, doctrinam quoque Christianam amplexus est, idque tanto studio, ὡς καὶ κήρυκα τοῦ κατὰ χριστὸν εὐαγγελίου τοῖς ἐπ'ἀνατολῆς ἔθνεσιν ἀναδειχθῆναι μέχρι καὶ τῆς Ἰνδῶν στειλάμενον γῆς. In Indiam [4]) profectus hebraicum ibi Matthaei evangelii exemplar reperisse dicitur apud Christianos, a Bartholomaeo apostolo doctrina Christiana innutritos, et evangelio Matthaei hebraico [5]) (τῇ τοῦ Ματθαίου γραφῇ ἑβραίων γράμμασι) ab ipso donatos. Hieronymus accuratius etiam idem retulit, (in Catal. scriptor. eccles. c. 36. Opp. Tom. IV. P. II. p. 112. ed. Martianay,) Pantaenum in Indiam rogatum ab illius gentis legatis, a Demetrio Alexandriae episcopo illuc missum, redeuntem evangelium il-

---

2) Euseb. h. e. III, 39. ed. c. p. 210. Iren. contr. Haeres. V. 33. p. 333. ed. Massuet. Literis consignaverat Papias V libros, λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις inscriptos, quorum et locus cit. explet fragmentum.

3) Vid. Olshausen l. l. p. 92 sqq. Certo autem Papias eandem tuebatur sententiam, quam si non habuisset, aliam huic diversam addidisset; hanc vero cur Eusebius omiserit, causa prorsus deest.

4) Indiam h. l. esse Arabiam meridionalem seu felicem (quanquam VV. DD. hac in re dissentiunt, vid. Neander Kirchengesch. T. 1. p. 115 sqq), verisimile est propterea quod incolae tractus illius appellabantur ܗܢܕܝܐ (cf. Assemani Biblioth. Oriental T. I. p. 359. Michaelis Syrische Chrestomathie p. 16. 17. Eichhorn Einl. ins N. T. T. I. p. 467). Verissime asserit Ven. Schott in l. l. p. 71. „Quae de Pantaeno narrantur nihil certe continent, quod historiae exploratae contradicat, quum Paulus ap. satis mature (Gal. 1, 17.) Arabiam adierit"; dumne relationem hanc fide dignissimam nihilo secius in dubitationem postea vocasset. Reputa porro, Maccabaeis regnantibus Arabiam felicem Judaeos incoluisse frequentissimos et ipsos ejus terrae reges sacra religionis Judaicae fuisse amplexos. Cf. Basnage Exercit. hist. crit. contra Baron. p. 163. I. G. Heyne de Ethnarcha Aretae, Arabum regis, Paulo Ap. insidiante §. XI. Remond Versuch einer Gesch. d. Ausbreit. des Judenthums v. Cyrus bis a. d. gänzl. Unterg. des jüd. Staats. (Lips. 1789), p. 99 sqq.

5) Matthaei ap. fuisse αὐτόγραφον, quidam conjecerunt, quod male; fuit versimiliter evangelium sec. Hebraeos (vid. Olshausen l. l. p. 46.), intima necessitudine cum Matthaei evangelio conjunctum, vid. infra §. 8. not. 10. et § 17.

Digitized by Google

lud, hebraicis literis scriptum, Alexandriam secum detulisse; unde evidenter patet, alios praeterea Hieronymum adiisse fontes.

Tertio nobis laudandum est Irenaei testimonium. Floruit ille episcopus Lugdunensis et Tertulliano teste (Libr. contr. Valentin. c. 5) „omnium doctrinarum curiosissimus explorator", Polycarpi Smyrnensis, (quem Eusebius (h. e. III. 36) laudat *τῶν ἀποστόλων ὁμιλίτην καὶ πρὸς τῶν αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ κυρίου τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένον*), familiaris, exeunte saeculo II. atque ineunte tertio, cujus verba huc spectantia haec sunt: *Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων, καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν.* Advers. haeres. L. III. c. 1. p. 174. ed. c. cf. Euseb. h. e. V. c. 8. p. 329. ed. c.

Deinde videamus, quid Origenes, vir aetatis suae doctissimus, ecclesiaeque saeculi tertii decus atque ornamentum, de Matthaei evangelio senserit. „*Ὅτι πρῶτον μεν*" inquit (ap. Euseb h. e. VI. c. 25. p. 433. ed. c.) [6]) „*γέγραπται τὸ κατὰ τὸν πότε τελώνην, ὕστερον δὲ ἀπόστολον Ἰησοῦ χριστοῦ Ματθαῖον, ἐκδεδωκότα αὐτὸ τοῖς ἀπὸ Ἰουδαϊσμοῦ πιστεύσασιν, γράμμασιν Ἑβραϊκοῖς συντεταγμένον· δεύτερον δὲ τὸ κατὰ Μάρκον κ. τ. λ.* Asserit quoque, eandem hanc sententiam traditione, ore facta, fuisse propagatam, „*ὡς ἐν παραδόσει μαθών*".

Duumvirorum denique testimonia restant alleganda, Eusebii atque Hieronymi. Ille, qui ineunte praecipue saec. IV. floruit, testimonium nobis exhibuit ex traditione veteris ecclesiae peculiariter investigata depromtum, hisce quidem verbis: (h. e. III, 24. p. 179. ed. c.) *Ματθαῖος μὲν γὰρ πρότερον Ἑβραίοις κηρύξις, ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ' ἑτέρους ἥξειν, πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον, τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ τούτοις ἀφ' ὧν ἐστέλλετο, διὰ τῆς γραφῆς ἀπετλήρου* [7]). Hic vero omnium PP. eccles. sine dubio eruditissimus, vir trilinguis, de Matthaei evangelio ita testatus est: (*Comment. in Matth.* praef.) „Matthaeus primus evangelium in Judaea hebraeo sermone edidit, ob eorum vel maxime causam, qui in Jesum crediderant ex Judaeis et nequaquam legis umbram succedente evangelii veritate servabant." (Opp. T. IV. p. 3. ed. c.) De vir. illustr. c. 3. „(Matth.) primus in Judaea propter eos, qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi hebraicis literis verbisque composuit: quod quis postea in graecum transtulerit, non satis certum est". Cfr. praeterea Epist. ad Damasum. Opp. T. IV. p. 48. ad Hedibiam. ibid. p. 173. Comm. in Jes. Opp. T. III. p. 63. Comm. in Oseam. ibid. p. 1311. ubi eandem innuit ille sententiam.

Reliqua vero Patrum testimonia quum aevo seriori annumerentur, ac supra jam allegata, parum commutata, repetant, eo ipso levioris sunt momenti [8]).

---

6) Idem fragmentum occurrit in Origen. Opp. ed. De la Rue Vol. III. p. 440 cf. Comm. in Joann. T. VI. §. 17. Opp. Vol. IV. p. 132. ed. cit.

7) Cf. Euseb. V, 10. coll. Olshausen l. l. p. 25.

8) Verumtamen Epiphanii verba, tanquam testimonia secundaria, conferre juvabit, (vid. haer. XXIX. 9. XXX. 3. LI. 5. atque Hippolyti (in libro „de XII. Apostolis

Digitized by Google

Traditione ergo veteris ecclesiae de Matthaei evangelio, in scriptis Patrum excitata, hoc efficitur: Matthaeus apostolus evangeliorum canonicorum primum literis consignavit, idque hebraice originaliter in usum Judaeo-Christianorum Palaestinensium; postea vero in graecum sermonem translatum est, nesciunt a quonam et quoties.

§. 4.

Quibus praemissis, quaestio nobis eruenda offertur: num omnia, a vetere ecclesia de Matthaei evangelio tradita, Matthaeiano nostro comprobentur ac justificentur. Ita ergo primum aptissime disputabitur de lingua Matthaei evangelii originali, dein de lectoribus, quibus destinatum, ac denique quo loco et tempore conscriptum sit hoc evangelium.

Quaeritur, *num Matthaei evangelium graecum, primo Canonis loco exhibitum, versio sit e textu originali hebraico sive aramaeo continua et verbum e verbo expressa?*

Traditio veteris ecclesiae, vidimus, hoc quidem contendit; quum vero Patres temporum illorum laudati neque, comparatione critica textus aramaei cum graeco instituta, philologia duce accurateque hanc rem investigarint, neque omnino, quod infra §§. 18. 25. patebit, valuerint, traditio illa firmissimo nobis non utitur documento, errorem-que intercedere certe potuisse concedendum est. Recentioribus itaque reservatum fuit temporibus philologiae artisque criticae ope, qua nostra imprimis gaudet aetas, quaestionem illam, sub incudem revocatam, diligentius inquirere ac dijudicare.

In duas easque diversissimas partes abiisse VV. doctos, neminem fugit; aliis veteris ecclesiae traditionem tuentibus defendentibusque, aliis, illa rejecta, asseverantibus, Matthaeum graece originaliter evangelium nostrum conscripsisse. [z])

§. 5.

Veteris ecclesiae traditionem tuentes et linguam evangelii nostri originalem syro-chaldaicam sive aramaeam esse contendentes, ad haec potissimum provocarunt argumenta:

---

et LXX. discipulis", profecto seriori ac suppositicio T. I. p. 30 Append. ed. Jo. Alb. Fabricii. Nec non testimonium in notitiis libro, Athanasio falso assignato: „Synopsi scripturae sacrae" annexis: *τὸ μὲν οὖν κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἐγράφη ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Ματθαίου τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ.* Opp. Athanas. T. II. p. 155 ed. Paris. Quibus certe probatur, sententiam de Matth. evangelio, hebraice originetenus scripto, omnibus temporibus in vetere ecclesia fuisse eandem, una omnium voce propagatam. – Subscriptionum relationes conjecturarum instar habendas censemus.

1) Notit. literar. vid. in Fabricii Biblioth. Graec. T. IV. L. IV, c. 7. p. 706 ed. Harles, et ap. Fr. Guil. Schubertum in Ds., qua in sermonem, quo Evangel. Matth. conscriptum fuerit, inquiritur. (Gotting. 1810. 4.) §. 2. 3. p. 7 – 9. et de Wettium in l. Einl. ins N. T. p. 176. Quibus add. Jo. Theoph. Buslavii dissert. historico-critico-exegetica de lingua originali evangelii sec. Matth. (Vratislav. 1826. 8.) et Grawitz „sur la langue originale de l'évangile de St. Matthieu." (Paris, 1827.) coll. Olshausen. Comm. I. in introduct. p. 11. not.

Digitized by Google

Primum quidem ad multos hebraismos in Matthaei evangelio obvios. Facile sane in hanc sententiam incidere potuerunt, quibus indoles atque character idiomatis linguae N. T. non satis innotuerat, ubique ex hebraismis versionem e textu aramaico factam conjicientibus. [1]) Nostris interea temporibus perpauci argumentum inde petierint; praeclaris enim Sturzii [2]), H. Planckii [3]), Lobeckii [4]), atque imprimis Wineri [5]). Viri eruditiss. aliorumque studiis luce clarius illuxit, hebraismos cum intima linguae N. T. natura esse conjunctos. Apostoli, natu Judaei Palaestinenses, aramaice cogitata, graeco sermone usi, aramaeo colore tincta redderent necesse fuit [6]). Praeterea vero etiam bene est animadvertendum, traditionem evangelii aramaicam, ore propagatam, ita in graecam transiisse, ut in evangeliis canonicis nostris distingui amplius omnino non possit, quaenam ex aramaeo translata sint, quae minus. Ac denique numerum hebraismorum in Matthaei evangelio esse tantum, quantum illi voluerunt, probari nequit; in Marci evangelio e. g. nisi plures, totidem tamen certe occurrunt hebraismi, neque autem propterea inde collegeris, Marci evangelium literis aramaicis originaliter esse consignatum. Contentione textus V. T. LXX interprett. facta, infitiari non poteris, hic multo plures inveniri hebraismos, quam in N. T. Qua observatione innixus haud temere, opinor, conjectaveris, numerum hebraismorum in Matthaei evangelio, accepta versione perpetua, longe fore copiosiorem. Primum illud ergo argumentum nihil valere, jure censetur.

§. 6.

Secundum, cui illi institerunt argumento, positum est *in erroribus, ab interprete Matthaei graeco commissis*, ita ut loci, in quibus reperisse istos putaverunt, rejecta hac sententia, recte intelligi nequeant [1]). Ne vero acta agamus, nimisque dissertationem prolongemus, in singulis illis erroribus, maximam partem fictis, accurate repudiandis non immorabimur. In universum autem vere contendas licet. locorum, a b. Eichhornio l. c. aliisque haud raro ingeniosissime ac mira interpretandi

---

1) Vid. quae verissime observavit Guerike l. l. p. 37.

2) Sturz, „De dialecto Alexandrina" ed. II. Lips. 1809. 8.

3) H. Planck „De vera natura atque indole orationis graecae N. T." Commentat. Gotting. 1810. 4.

4) Lobeck Annotatt. ad Phrynichi Eclog. Lips. 1820.

5) G. B. Winer Grammatik des neutest. Sprachidioms. ed. III. Lips. 1830. cf. imprimis p. 20 sqq. p. 27.

6) Vid. Pauli Conserv. I. p. 30 sqq. cf. et p. 84. De Wette Eink. ins N. T. p. 2 sqq. p. 176.

1) Bolten „Der Bericht des Matth. von Jesu dem Messia," (Altona, 1792. 8.) Vorbericht p. VIII. sqq. et pl. al. 11. Eichhorn Einl. ins N. T. p. 518 sqq. Bertholdt Einl. ins A. u. N. T. Tom. III. p. 1261. Buslav. in ds. l. p. 63 - 68.

Digitized by Google

sagacitate contortorum, nullum probare probandum [2]). Etenim complures errorum illorum, quos invenisse sibi videbantur, jam affatim retunduntur observatione, qua iisdem tantummodo subest translatio verborum aramaeorum in graecum sermonem, verbotenus ac nimis religiose expressa, eaque jam ore facta, priusquam traditio evangelica scriptis mandaretur. Nemo e. g. Matth. 18, 6. hujusmodi errorem deprehenderit: bene enim animadvertendum, „discipulorum" appellationem, Hebraeis usitatissimam, in dicendi consuetudinem traditionis evangelii graecae transiisse. Praeterea et LXX interpretes eundem loquendi usum retinuerunt [3]); versionem vero Alexandrinam haud exiguam exercuisse vim ad orationem traditionis evangelicae conformandam, satis constat. (Quin adeo Matth. 10, 42. parallelismorum ratione habita praecedentium, μικροί hoc ipso loco accuratius designantur verbis: εἰς ὄνομα μαθητοῦ).

Interdum vero ne minimam quidem veri speciem prae se ferunt errores isti fictitii. Ita e. g. Matth. 2, 1, ubi verba ἀπὸ Ἀραβίας, quae apud Iustinum M (in Dialog. c. Tryph. p. 303. ed. Col) leguntur, versionem, illa Matthaei ἀπὸ ἀνατολῶν rectiorem, exhibuisse dicuntur [4]). B. vero Eichhornium veluti in hoc, ita in omnibus fere aliis errorum ab interprete graeco commissorum exemplis errasse, insigni ingenii acumine evidenter probavit Ven Paulus in l. Theol. exeget. Conserv. (Heidelb. 1822. 8.) p. 30 sqq. quibus luculenter apparet, sententiam illam VV. DD. de hujusmodi erroribus falsae plerumque textus graeci interpretationi esse superstructam [5]). Quodsi tandem eadem ratione uti liceret, in quovis alio N. T. libro tales errores facile detegerentur, sicuti Boltenius quoque, comparationi linguarum semiticarum nimium indulgens, in IV evv. canonicis eorum excutiendorum studio insudavit. Verumtamen etiamsi concessum sit, de erroribus illis, passim dispersis, rem vere ita sese habere, quemadmodum VV. DD. modo laudati statuerunt, neque tamen tantae sunt multitudinis, ut colligere inde ulla ratione possis, Matthaeianum nostrum versionem continuam esse e textu originali aramaico factam.

---

2) Vid. De Wette Einl. ins N. T. p. 176. Nic. Wiseman in l. praeclaro: Horae Syriacae seu Commentationes et Anecdota vel litteras Syriacas spectantia (Romae, 1828. 8.) qui p. 12. verba depromsit verissima haec: „Quot sane errores in interpretando S. Codice admissi sunt, ex perpetua hac ad Syriasmum recurrendi libidine, in rebus quae tali illustratione non egebant"! respiciens ad Boltenii tentamina nimium saepe artificiosa. Guerike in l. l. p. 37. optime animadvertit: „Uebersetzungsfehler darf man gar nicht nachweisen wollen, weil uns der hebraische Text unbekannt ist". Convenit vero inter VV. DD., evangelia Matthaei hebraica, a Seb. Münstero et Joan. Tillesio (Jean de Tillet) saec. XVI. typis publicata, e graeco profecta esse. vid. Buslav in Ds. l. p. 37. et quos ibi laudavit.

3) Cf. I Paralipom. 2 5, 8. et al. ll. 4) Vid. quae doctiss. contra disputarunt Paulus (in Conserv. l. c.) et Theilius in diario: Winer u. Engelhardt n. krit. Journ. T. I. fasc. 2. p. 228. 5) Interpretis graeci errorem in l. Matth. 5, 32. a b. Eichhornio indagatum, optime refutavit Fritzschius in Comm. ad Matth. p. 237. Vid. etiam p. 322. 323.

Digitized by Google

§. 7.

Tertium denique, quod adhibuerunt archetypi aramaici propugnatores, argumentum restat, ex satis longa annorum serie gravissimum Contendunt nimirum, *Matthaeum apostolum in citandis V. T. effatis ac vaticiniis non ad versionem Alexandrinam, sed ad textum hebraeum originalem confugisse.* Eichhornius (in l. Einl. ins N. T. I. p. 469 sqq.) concedit quidem, in Matthaei evangelii partibus, ex evangelio primitivo petitis, Marci Lucaeque evangeliis communibus et jam maturius in graecum sermonem translatis, versionem Alex. fuisse usurpatam vel saltem alterutrius, textus originalis aut versionis adhibitae, verisimilitudinem esse parem. His vero concessis, si quaestionem strictim modo propositam accuratius spectaveris, hoc quoque argumentum, primo obtutu firmissimum, vehementer debilitatur, quum sectiones designatae majorem Matthaeiani nostri partem efficiant [1]). In iis vero locis, quae Matthaeo in adornando evangelio fuerint propria, textum solummodo V. T. hebraicum usurpatum esse, contendit Ille. Accuratiori interea locorum 2, 6. 15. 18. 4, 15. 8, 17. 9, 13. 12, 18-21. 13, 35. 21, 4. 27, 9. 10. ab Eichhornio laudatorum contentione cum versione Alex. facta, satis luculenter apparet, et illa loca ex hac pendere atque indolem ipsorum ex citandi ratione liberiori optime explicari, praesertim quum in locis excitatis scriptor fere semper *ipse* ad vaticinia V. T. respiciat eademque sententiae suae liberius accommodet (cf imprimis 2, 15. 8, 17. 27, 9. 10.), quod Ven. Paulus evidenter prosperrimoque probavit successu, ad cujus observatt. sagacissimas brevitatis studiosi ablegamus lectorem benevol. vid Ejusd. Conserv. I. p. 35 sqq. Huc denique accedit, quod Eichhornius ipse quatuor loca excepit: c. 1, 23. 27, 35. 21, 16. 13, 14. 15. — De Wettius V. S doctissime, pro sua de origine evangeliorum synopt. sententia, statuit, (Einl. ins N. T. p. 176.) „Matthaeum in locis sibi propriis, ubi vaticinia V. T. a versione Alex. non dependens transtulerit, eundem a traditione evangelica non pependisse." Interim et in locis communibus haud raro a versione Alex. declinat Noster vid. not. 1); qua de causa conjicere audemus: scriptoris Matthaeiani nostri, in V. T. bene versati animo, sensum textus originalis, dum scriberet, interdum fuisse obversatum. Ergo et tertium illud argumentum intercidit.

§. 8.

Contrariam vero sententiam, Matthaei evangelium graecis originaliter literis consignatum esse amplexi [1]), *aperte videntes, eandem illam, indole quidem Matthaeiani nostri interna confirmatam, acerrime impugnari veteris ecclesiae traditione, hanc omni modo debilitare ac falsitatis arguere, sedulo maximoque studio desudarunt.* Quum itaque asseverarent illi, Matthaeum ap. graece originaliter evangelium nostrum scripsisse, Pa-

1) Atqui in his ipsis sectionibus haud raro a versione Alex. liberius declinat Noster, cf. Matth. 4, 10. 11, 10. 21, 13. 22, 31. 37. 26, 31.

1) Nuperrime Schottum Cel. in l. l. p. 69. ejusdem sententiae fautorem deprehendimus.

Digitized by Google

piae imprimis testimonium vetustissimum (§. 3. supra laud.) in dubitationem revocare aggressi sunt, statuentes, Papiam, Eusebio teste (h. e. III. 39. p. 213. ed cit.), homunculum fuisse σμικρὸν τὸν νοῦν, qua de causa fidem historicam merito ipsi esse denegandam [2]). Sed falso re vera, neque enim respexerunt illi, cur et qua ratione Eusebius Nostrum ita carpserit. Nam propterea manifesto in Papiam ille invexit, quod ideis chiliasticis imbutus fuerit atque ejusdem doctrinae praeceptis alios quoque ecclesiae doctores infecerit [3]). En ejus verba: „πλὴν καὶ τοῖς μετ'αὐτὸν πλείστοις ὅσοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν, τῆς ὁμοίας αὐτῷ δόξης παραίτιος γέγονε, τὴν ἀρχαιότητα τ'ανδρὸς προβεβλημένοις [4]). Relatio autem, hic in discrimen vocata, mere est historica et a doctrina de regno millenario omnino non dependet [5]). Quin in rebus historicis haud obscure Papiae fidem tribuit Eusebius ipse, verbis prooemio Papiae ἐξηγήσεων allegato additis his [6]): καὶ ὁ νῦν δὲ ἡμῖν δηλούμενος Παπίας, τοὺς μὲν τῶν ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρηκολουθηκότων ὁμολογεῖ παρειληφέναι· Ἀριστίωνος δὲ καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου, αὐτήκοον ἑαυτὸν φησὶ γενέσθαι. ὀνομαστὶ γοῦν πολλάκις αὐτῶν μνημονεύσας, ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι τίθησιν αὐτῶν παραδόσεις· καὶ ταῦτα δ'ἡμῖν οὐκ εἰς τὸ ἄχρηστον εἰρήσθω. Denique vero Eusebius ut Papiae testimonium reprehendat ac refellat, tantum abest, ut ejusdem prorsus de lingua Matthaei evangelii authentica sit sententiae. (Vid. supra §. 3). Ad extremum autem bene animadvertas, Papiam non suam protulisse sententiam, sed Joannis Presbyteri.

Papiam e schola Ebionitarum suam accepisse relationem, quod ingeniose Hugius collegit (in l. l. II. p. 17.) ex Eusebii verbis (h. e. III. 39.): ἐκτέθειται δὲ καὶ (Παπίας) ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ χυρίου, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον περιέχει.) jure docteque reprobavit Olshausenius (in l. l. p. 21.) demonstrando, Eusebium evangelium sec. Hebraeos oculis suis non inspexisse coll. imprimis Euseb. h. e. III, 36. cum Hieron. de vir. illustr. c. 16. s. v. Ignat.

Quod vero Paulus, vir eruditiss., in Papiae verbis: Ματθαῖος μὲν οὖν Ἑβραΐδι διαλέκτῳ κ. τ. λ. particulam οὖν mutandam censuerit in οὐχ [7]),

---

2) Vid. Schubert in Ds. l. §. 6. p. 13 sqq. Hug Eiul. in die Schriften des N. T. (Stuttgart. 1821. ed. 2) Tom. II. §. 8. p. 16 sqq. Mirum in modum jam Semlerus Papiam, historica ejus fide contempta, in vernacula nostra notavit: „Ein schwaches Mohnhaupt." cf. Eichhornii Allg. Bibl. T. V. fasc. 1. p. 103.

3) Adversatur quidem Theilius in diario §. 6. not. 4. laud. p. 218, sed male nostra sententia.

4) Eusebium, partium studio seductum, Papiae esse subiratum, luculentissime eo etiam intelligitur, quod negat, Papiam Joannis apostoli fuisse discipulum, (Cf. Olshausen. l. l. p. 22 et p. 224 sqq.) quum Irenaei relatio longe antiquior (adv. haer. V., 33) falsitatis corrgui nequeat.

5) Olshausen l. l. p. 20 sqq. Buslav in ds. l. p. 2 - 7. Guerike l. l. p. 37 sqq. De Wette Eiul. ins N. T. p. 175. 6) Euseb. hist. eccl. L. III. c. 39. p. 212. ed. c.

7) Vid. Pauli Conserv. I. p. 113. coll. ejusd. Exegetisch. Handbuch. T. I. P. 1. p. 36. cf. Theile in diario l. T. I. fasc. 2. p. 203, not. 3.

Digitized by Google

lectionem hanc conjecturis audacioribus annumeraverim nec fundamento historico, nec Codd. auctoritati innixam. — Atqui altera ex parte nulla ratione evinci potest, Patrum testimonia seriorum ex Papiae relatione prodiisse [8]); nam in omnibus fere plures adduntur περιστάσεις [9]), quibus luculenter probatur, e veteris ecclesiae traditione peculiariter indagata originem illa traxisse. Pantaeni vero testimonium (supra §. 3. laud.) ex hac Papiae relatione omnino non pendet [10]).

Matthaeum itaque apostolum scripsisse evangelium originaliter aramaicum, ob firmissimam eandemque constantissimam veteris ecclesiae traditionem addubitare nullo modo licet. Summo nobis documento esse potest Hieronymus, qui, quum in bibliotheca Caesariensi Pamphili Martyris evangelium secundum Hebraeos sive Nazaraeorum reperisset, tantopere de hebraico Matthaei evangelii textu originali sibi persuasnm habuit, ut primo obtutu Matthaei archetypum hebraicum invenisse crederet; contentione autem diligentiori cum textu graeco facta, spes ipsum fefellit. [11])

§. 9.

Huc vero accedit, quod sententiae, Matthaeum apostolum graece originaliter scripsisse evangelium, nulla omnino faveant testimonia Patrum diserta.

Eusebii quidem locum in Comment. ad Psalm. 78, 2. in partes suas trahere studuerunt VV. doctorum plures, sed male. Verba scilicet l. c. exstant haec: ἀντὶ τοῦ· φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς, ἑβραῖος ὢν ὁ Ματθαῖος οἰκείᾳ ἐκδόσει κέχρηται, εἰπών· ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς. Hugius Cl. [1]) et alii verba οἰκείᾳ ἐκδόσει intelligi volunt de versione

---

8) Etiamsi interea concesseris, rem ita sese habere (quod vero nullis, opinor, argumentis idoneis firmatur) negari certe non potest, Patros illos Papiam, fide historica dignum putantes, non habuisse homunculum σμικρὸν τὸν νοῦν.

9) Ita e. g. Irenaeus adspersit, Matthaeum scripsisse, Petro et Paulo Romae evangelizantibus etc. quod optimo jure Schuberto (in Ds. l. §. 7.) et aliis VV. DD. opponitur. Cf. Olshausen in l. l. p. 24. Buslav in ds. l. p. 10 sqq.

10) Vid. Olshausen l. l. p. 23. de Wette l. l. p. 175. Eichhorn Einl. ins N. T. I. p. 466. Guerike in l. l. p. 38. Pantaeni testimonium insigni eruditione vindicavit Buslav in ds. l. p. 14 sqq. Quamvis autem sub Matthaei evangelio, quod in Judia reperisse dicitur Pantaenus, (cf. §. 3.) evangelium sec. Hebraeos intelligendum sit, vera tamen indolis evangelii hujus investigatione adhibita (vid. infra §. 17), probandum jam satis superque probatur, et a Theilio, Viro doctiss., in diario l. T. I. fasc. 2. p. 204. opposita parum sane valent. Hoc saltem cum Dav. Michaeli (in l. Einl. ins N. T. ed. 3. Tom. II. p. 822.) tenendum arbitramur, Pantaeni testimonio collustrari, jam antiquissimis Christianismi temporibus vulgarem fuisse sententiam Matthaeum ev. suum hebraeo consignasse sermone.

11) Verba Hieronymi perquam notabilia exstant in l. de vir. illustr. c. III. Cf. quae de h. l. erudite commentati sunt de Wettius l. l. p. 85. Olshausen. l. l. p. 72 sqq. Haec vero omnia infra demum, ubi de evangelio sec. Hebraeos edisseremus, in luce clara ponentur, cf. §. 17. et 18.

1) Hug Einl. T. II. p. 20. ed. 2.

Digitized by Google

graeca a Matthaeo peculiariter facta; explicari autem solummodo ea posse de hebraeo V. T. textu, (qui et verba illa exhibuit: אֶבִּיעָה חִידוֹת מִנִּי־קֶדֶם) erudite optimeque demonstravit Olshausenius (in l. l p. 27.). Si vero „ἔκδοσιν" interpretari liceret per „versionem" (quod nostra sententia fieri nequit), ob relationem definitam vocis „οἰκεία" ad verba ἑβραῖος ὤν cum b. Michaeli [2]) statuendum certe foret, Eusebium intellexisse targumum sive paraphrasin chaldaicam. Itaque sensus, qui hac verborum interpretatione efficitur, apprime congruit cum Eusebii persuasione (h. e. III, 24. V, 10. luculenter indigitata), Matthaeum ap. aramaice originaliter scripsisse [3]). Quae vero a Hugio caute prolata reperiuntur ad contradictionem, quae, sua verborum interpretatione applicata, in Eusebii sententia de lingua evangelii nostri authentica exoriretur, solvendam, docte refellit Olshausenius (in l. l. p. 28). — Male vero etiam in eandem partem interpretatos esse VV. doctos Origenis [4]) verba: „ἔοικε πέπλασθαι ὑπὸ τῶν Εὐαγγελιστῶν" vocabulum nimirum ἐπιούσιος, quod evangelistarum ἅπαξ λεγόμενον deprehendit Ille, (cf. Matth. 6, 11. Luc. 11, 3.) verissime docuerunt b. Eichhornius in l. Einl. ins N. T. I. p. 420. et Marshius in l. Anmerk. z. Michael. Einl. übers. v. Rosenmüller. T. II. p. 100.

§. 10.

Jam vero paucis proferamus, quidnam ex supra disputatis sequatur necessarioque inde sit concludendum. Vidimus traditionem veteris ecclesiae, fide historica satis dignam, firmissime testantem, Matthaeum ap. evangelium originaliter aramaicum scripsisse; altera vero ex parte in Matthaeiano graeco nostro nullum occurrere versionis vestigium, sed potius opus graeco sermone originaliter literis consignatum argumentis suffulciri haud spernendis, (quod infra statim evidentius etiam illustrabitur); ac denique nullum omnino exstare testimonium, Matthaeum ap. graece originaliter scripsisse, affirmans; quin adeo, testimoniis §. 3. laudatis e medio sublatis, nullibi vetustissima traditione diserte enarrari, Matthaeum evangelium unquam omnino literis consignasse. *Quae quum ita sint et traditio fronte adversa colluctetur cum indole Matthaei evangelii graeci nostri interna, optimo jure inde colligitur, Matthaeianum nostrum ad Matthaeum apostolum ipsum directe et versionis archetypi aramaici continuae instar nulla ratione posse reduci. Authentia itaque evangelii nostri hac ex parte sensu strictiori necessario est addubitanda.*

---

2) Michaelis Einl. T. II. p. 976. Cf. Schubert in ds. l. §. 11. p. 22.

3) Cf. interea quae monuit Theilius in diario l. T. I. fasc. 2. p. 200, not. 2. Vindicatio Eusebianae sententiae legitur in Buslavii ds. l. p. 22 - 26. Observatio vero illa ad Psalm 78, 2. dilucidior evadit si, quod fide utitur historica, reputaveris, Patres fere omnes in interpretandis V. T. libris supposuisse versionem Alex., neque autem textum originalem. 4) Vid. Origen. de Oratione Opp. ed. c. T. I. p. 215.

Digitized by Google

Argumentorum, sermonem graecum evangelii nostri esse originalem evidentissime confirmantium, haec potissime laudaverim. Eximia verborum graecorum imprimis minus usitatorum (e. g. πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ Matth. 4, 5. Luc. 4, 9. ἐπιούσιος Matth. 6, 11. Luc. 11, 3. et al.) dicendique formularum congruentia in locis evangeliorum synopticorum parallelis luculenter manifestatur, scripta communia, jam graeco sermone literis consignata, evangeliis tribus synopticis fundamento fuisse, nisi forsan statueris, Marcum et Lucam, in conscribendis evangeliis, Matthaeianum graecum nostrum adhibuisse atque decerpsisse, quod vero nostra quidem sententia argumentis idoneis probatur nullis. (vid. infra §. 19.) Deinde infitiari non possumus, dicta et vaticinia V. T., in evangelio nostro excitata, de versione pendere Alexandrina, atque evangelistam, si translator fuerit, eadem illa justo liberius tractasse [1]). Denique vero permulta in illo loca narrationesque, characterem orationis graecae genuinum ac verissimum prae se ferentes [2]), quin adeo graeci verborum lusus occurrunt: Matth. 6, 16. ἀφανίζουσι - - φανῶσι; (c. 5, 45. δικαίους καὶ ἀδίκους, v. 46. 47. ἀγαπήσητε - - ἀσπάσησθε) [3]).

§. 11.

Ex iis itaque, quae §§. antecedentibus pro viribus nostris, quae quam exiguae sint, sentio, exposuimus, luculenter procedit, traditionem ecclesiasticam, ex qua Matthaei evangelium graecum nostrum versio praedicatur e textu originali aramaico continua, nulla ratione probari posse ac justificari. Guerikius, Vir doctiss., in propatulo videns, argumenta interna aeque firmiter coarguere textum originalem evangelii nostri graecum, ac testimonia externa hebraicum, simul vero authentiam Matthaeiani nostri plene servaturus, ad hypothesin confugit profecto nimis arbitrariam. Conjectat videlicet, ad observationes illas, acerrime inter se pugnantes, reconciliandas, (in l. l. p. 43 sqq.), *Matthaeum ap., vernacula Palaestinensi usum, aramaicis primo evangelium suum literis consignasse, serius vero — etiamsi non ita multo post, — eundem hoc ipsum evangelium liberius* (neque enim verisimile esse, apostolum evangelium, antea ab ipso conscriptum, verbum de verbo religiosius in alium vertisse sermonem) *in graecum transtulisse, ita ut graecum quoque Matthaei evangelium opus sit originale i. e. ejus, cui tribuitur auctoris,*

---

1) Vid. supra. §. 7. Olshausen in Comm. l. T. I. p. 11. p. 263 ad Matth. 8, 17. et p. 454. ad Matth. 13, 34. 35. At dixeris, Matthaei evangelium non esse versionem vulgarem, sed translationem potius archetypi illius aramaici liberiorem, et hac ipsa de causa ex usu versionis Alex. nil sequi contra textum originalem aramaicum, quum scriptor liberiorem in modum vaticinia V. T. sec. LXX interprett. transtulerit, sicuti Ruffinus, interpres scriptorum Irenaei, V. T. loca, in N. T. obvia, sec. versionem Vulgatam excitaverit. Ita censentibus respondemus, hanc rem nullis rationibus posse firmari; vid. imprimis quae infra (§. 23.) de origine trium evv. synopticorum exposuimus. 2) Cf. Hug Einl. II. p. 60 sqq. 3) Exempla vero 5, 45. et v. 46. 47. a Theilio V. doctiss. in diario laud. T. I. fasc. 2. p. 202. allata, sane minus certa habemus. Add. Matth. 24, 7. λιμοὶ, καὶ λοιμοὶ.

Digitized by Google

versio quasi originalis authentica; annotatione superaddita: *Matthaeum sic et Christianis, qui crediderant ex Judaeis Palaestinensibus, et Judaeis, graeco sermone usis, optime consuluisse.* Interim, quamvis Anonymus quidam [1]) Guerikii sententiae, paulisper tantum modificatae (statuit scilicet, Matthaeum evangelium suum aramaicum in usum Judaeorum hellenistarum in graecum sermonem vertendum et inter Judaeochristianos provinciarum externarum propagandum curasse), assentiatur eamque jam plures per annos fovisse asseveret, et Schottus Oel in l. l. p. 69. verba depromserit haec: „Certe, si Matthaeus aramaice scripsisse censeatur, vel ipse Matthaeus, vel vir quidam apostolicus idem evangelium mox graece edidisse existimandus est:" nimiae tamen adversantur difficultates, quibus adducti, collatis imprimis, quae verissime doctissimeque contra observavit Fr. Lückius [2]), fidem illi hypothesi denegandam esse censemus. Illa enim non modo testimoniis historicis non sustentatur [3]), sed disertissimis potius impugnatur. Animadvertit quidem Vir Ille doctiss., veterem ecclesiam neque versionem, a Matthaeo ap. factam, neque eo ipso archetypum Matthaei evangelii graecum ulla ratione negasse; (quod etiam de Hieronymi testimonio: de vir. ill. c. III. (vid. supra §. 3.) valere Ille contendit in l. l. p. 44 not. 82.), sed potius paene videri, ac si Veteres magna, qua graecum Matthaei evangelium semper habuerint, auctoritate id ipsum tanquam opus originale silentio agnoverint, cf. Olshausen in Comm. l. T. I. p. 11. fin. Unicum Papiae testimonium (ap. Euseb. h. e. III, 39. supra §. 3. laud.) hypothesi suae adversari Guerikio videtur, de quo ita fere commentatus est (in l. l. p. 45. 46.). Primam Papiani testimonii partem „Matthaeum hebraice scripsisse evangelium" fide historica dignam autumat, neque ita vero secundam: ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἦν δύνατος ἕκαστος. Quam autem sententiam nimis esse arbitrariam, quis est quem fugiat; pars enim secunda illa aeque est mere historica ac prima, et artissima inter utramque verborum cohaerentia, particulis μὲν et δὲ contexta, elucet. Rationem arbitrariam istam ea quidem observatione excusari Guerikius ait, quod secunda Papianae relationis pars nova, veluti prima, aliis adhuc Patrum testimoniis suffulciatur ac deinde omni veri specie interna destituta sit [4]); quam hac de causa pusillo Papiae animo imputandam esse arbitratur. Causam vero, cur hoc de pluribus Matthaei evangelii aramaici versionibus nuncium ab aliis Patribus eccles. non repetitum sit ac confirmatum, sagacissime indagavit Lückius l. c. p. 475: quum scilicet Irenaeus aliique scriberent. Matthaeianum nostrum, (quod graecam versionem putabant), jam in Canonem eccles. fuit receptum in eo-

1) Vid. Leipz. Lit. Zeit. an. 1829. mens. Jun. nr. 155. col. 1237.

2) Vid. Götting. gelehrte Anzeigen an. 1830. nr. 48. p. 474 sqq.

3) Eusebii enim locum in Comm. ad Psalm. 78, 2. ita non posse intelligi, supra §. 9. illustravimus, cui interpretationi unice verae ipse Guerikius favet, l. l. p. 42.

4) Idem jam statuerunt Schubertus in ds. l. §. 6. p. 13. et Theilius in diario l. T. I. fasc. 2. p. 203. De significatione verbi ἑρμηνεύειν vid. Schmidt (in l. Einl. ins N. T. p. 38. not. b.) qui affatim jam perstrinxit sententiam eorum, qui versiones illas memoriter tantummodo a lectoribus factas esse censeant.

Digitized by Google

que fixum, ac versiones istae, in illum haud receptae, interciderant. Deinde autem Papiae verba laudata verisimilitudine interna nullo modo carent, quin adeo ratione, qua Justinus M. in allegationibus ἀπομνημονευμάτων τῶν ἀποστόλων a textu Matthaei evangelii nostri declinat, probari illa videntur, quae Ven. Lückii est sententia (l. c p. 475 et 476.). Verumtamen etiamsi libenter concesseris, neque Justinum M. neque alium saec. II. Patrem eccl. versionum harum archetypi aramaici plurium usurpasse et citatam exhibuisse nullam, inde tamen concludere non licet, nunquam illas exstitisse. Neque enim dixerim, Papiae verba ita esse intelligenda, ac si illa aetate plures perfectae et in ecclesiarum usum receptae Matthaei evangelii aramaici versiones exstitissent graecae; sed usui potius privato destinatae [5]) una cum Matthaeiano legebantur graeco nostro. Si vero commentarius Matthaei aramaicus a pluribus legi potuit, quid quaeso magis consentaneum quam translatio illius in sermonem graecum frequentior, uti quisque pro linguae aramaicae scientia valuit. Quid de pusillo animo Papiae statuendum sit, jam supra §. 8. vidimus. Quae quum ita sint, Guerikii hypothesis Papiana illa relatione acerrime impugnatur, *in hac enim vertendi munus non injungitur ipsi Matthaeo apostolo, sed potius viris serioribus anonymis.* Denique vero, quum secundum Guerikii hypothesin Matthaeus evangelium suum aramaicum in graecum sermonem ipse transtulerit, idque non ita multo post illius scriptionem prioris, quomodo quaeso in animum nobis inducamus atque explicemus, Papiae, cui Marci evangelium innotuit, et in notitia scriptorum apostolicorum bene versato, versionem illam originalem authenticam fuisse ignotam, quae, si unquam exstitisset, perquam mature in ecclesiis recepta originem versionum aliarum certo prohibitura fuisset, quod verissime observavit Lückius V. S. l. c. p. 477. Ad extremum tandem Papiae relatio disertissime stabilitur Hieronymi verbis (de vir. illust. c. 3.): „*quod* (Ev. Matthaei hebraicis litteris, verbisque compositum) *quis postea in graecum transtulerit, non satis certum est.*" Igitur ubicunque facilius in quemvis alium interpretem graecum ignotum atque anonymum incidere licet, quam in Matthaeum apostolum ipsum, praesertim quum nulla omnino adsit causa, quomodo res illa, admodum notabilis, oblivioni altissimae prorsus penitusque dari potuerit. Stat ergo sententia, §. decimo nobis proposita, qua Matthaei evangelium graecum Matthaeo apostolo, tanquam auctori ipsissimo, directe tribui nequeat. — Olshausenium Cl. ad hypothesin de origine ev. nostri tuendam, Guerikianae consimilem, nuperrime [6]) (in Comm. l.) se contulisse, jam supra memoravimus. Iisdem videlicet, quibus hic, rationibus observationibusque adductus conjecit ille, „Matthaeum literis evangelium consignasse aramaicis eundemque editio-

5) Eo ipso facilius intelligitur interitus harum versionum, qui Theilium (in diar. l. T. I. fasc. 2. p 204.) et alios offendit. Alteram hujus interitus causam infra afferemus, vid. §. 25. fin.

6) Libro nimirum §. 1. not. 1. laud. ante aliquot annos, historia sola duce, neglectis vero argumentis internis, sententiam firmare studuerat Olshausenius, evangelium nostrum archetypi Matthaei ap. aramaici versionem efficere continuam.

Digitized by Google

nem graecam posthac inde confecisse. Verumtamen in hacce conjectura non acquievit, sed propter necessitudinem evangelii Matthaeiani cum Lucano in ll. Matth. 3, 7-10. c. Luc. 3, 7-9; Matth. 7, 3-5. c. Luc. 6, 41. 42; Matth. 7, 7-11. c. Luc. 11, 9-13; Matth. 8, 9. c. Luc. 7, 8; Matth. 8, 19-22. c. Luc. 10, 57-60; Matth. 9, 5. 6. c. Luc. 5, 23. 24; Matth. 9, 37. 38. c. Luc. 10, 2; Matth. 11, 4-11. c. Luc. 7, 23-28; Matth. 12, 41-45. c. Luc. 11, 24-26. 31. 32.) statuere sibi placuit, Nostrum in consignando commentario graeco ex aramaico illo Lucae evangelium adhibuisse; quum vero sententia vulgaris de usu utriusque evangelistae mutuo, quod nimirum alteruter commentarium alterius usurpaverit ac decerpserit, difficultatibus colluctetur inexsuperabilibus eandem censuit ita modificandam, ut Matthaeus evangelio aramaico, quod ex Lucano non pendens primum scripserit, quo minus sectiones, Lucae proprias, in conficienda editione graeca intersereret, vinctus fuerit atque impeditus; elocutionem vero evangelii Lucani puriorem in ll. communibus verbotenus saepenumero secutus sit." Quodsi autem Guerikii conjecturam irritam reddidimus, Olshausenii quoque sententiam falsitatis arguendam esse patet. Ad secundam vero hypotheseos partem refutandam monemus, studium tale, cui Noster, Lucam secutus, in sermone graeco sectando puriori desudaverit, quod idem merito pusillum praedicaveris, nullibi certo investigari, ac deinde necessitudinem utriusque evangelii affatim explanari, si originem evangeliorum synopt. statueris eam, quam infra §. 23. conjectavimus.

§. 12.

His vero peractis epilogi instar paucis adhuc respicere liceat ad satis longam doctissimeque Viris eruditissimis jam pertractatam quaestionem *de lingua Palaestinae Christi Apostolorumque temporibus vernacula* [1]). Quae quum disquisitio artissime cohaereret cum disputationibus VV. DD. de lingua Matthaei evangelii originali, modo perlustratis, et hic duplicem amplexi sunt sententiam, sermonem aut graecum aut aramaeum, qui aetate illa in Palaestina viguerit, defendentibus. Interim omnibus sedulo perspectis, quae ad unam alteramve VV. DD. sententiam tuendam prolata reperiuntur, ratam cummaxime sententiam eorum habendam esse censemus, qui auream tenuere mediocritatem. Etiamsi enim firmissimis collustretur historiae exploratae testimoniis [2]), in urbibus Palaestinae capitalibus graecum sermonem tunc temporis in usu fuisse frequentissimo, altera tamen ex parte nobis concedatur necesse est, linguam quoque syro-chaldaicam sive aramaeam in vulgo potissimum

1) Notit. literar. vid. in l. k. Hase das Leben Jesu (Leipz. 1829.) p. 53 not. 2. Add. Nicol. Wiseman (in l. Horae syriacae) de lingua Christi et App. Rom. 1828. 8. Vid. Censur. in Leipz. Lit. Zeit. 1829. nr. 61. col. 481 sqq. et in Hall. allg. Lit. Zeit. an. 1830. T. I. E. B. 72, 569.

2) Cf. Joseph. Antiqq. L. XVII. c. 11. §. 4. De bello jud. L. III. c. 9. §. 1. L. II. c. 14. §. 4. Act. 6, 9. 21, 40. 22, 2.

Digitized by Google

adhuc obtinuisse [3]). Jesum vero ipsum atque Apostolos, donec intra exiguos terrae promissae fines versarentur, eadem hac dialecto in evangelio docendo fuisse usos, permultis elucet exemplis, in scriptis N. T. obviis. Quodsi itaque ad priorem illam quaestionem, num Matthaeus ap. graecis aut aramaicis literis evangelium suum consignaverit, revertimur, disputationum de vernacula Palaestinensi ratione habita, sic eam dijudicandam esse arbitramur. Quum nullum omnino traditionis veteris exstet testimonium, Matthaeum graece, sed uno potius ore asseveretur, aramaice eum scripsisse, apostolum vero pro rerum natura aramaice scribere potuisse constet, jam τὸ posse [4]) sufficere oportet ad traditionem veteris ecclesiae, hac in re constantissimam, firmandam ac justificandam, etiamsi evinci nequeat, Matthaei evangelium graecum nostrum versionem archetypi illius aramaici efficere continuam.

§. 13.

Quaestione de lingua Matthaei evangelii originali ad calcem adducta, jam ad secundam ecclesiae veteris relationem: *de lectoribus, quibus Matthaei evangelium primum destinatum sit*, diligentius investigando vindicandam accedamus. Testimonia Patrum, vidimus, affirmant quidem, Matthaeum evangelium suum scripsisse in usum Judaeochristianorum Palaestinensium [1]); optimo vero jure postulantur hujus rei probandae vestigia, in Matthaeiano nostro obvia; haec autem prorsus desiderantur. Neque enim genealogia nec multis V. T. vaticiniis laudatis traditio vetus illa confirmatur [2]); nam ex his, veluti et iis, quae doctissime Gieselerus V. S. e ll. Matth. 10, 5. 6. 15, 21-28. 19, 28. 21, 43. 8, 11 et al. collegit [3]), tantummodo sequitur, scriptorem evangelii nostri fuisse Judaeochristianum et primos ejus lectores Christianos, qui crediderant ex Judaeis, neque tamen necessa-

---

3) Historia duce plura laudare licet exempla, quibus probatur, linguas in urbibus capitalibus jam exstirpatas indeque depulsas, in vulgo ruri imprimis et in vicis per longum temporis spatium postea viguisse (cf. Olshausen in l. l. p. 30).

4) Quod Hugii argumentis, contrarium probaturis et in ed. III Introductionis in N. T. (p. 40. 66. et al.) multum auctis, jure recteque opponitur in l. Studien u. kritiken v. C. Ullmann u. Umbreit T. I. fasc. 1. p. 178. Cf. Buslav. in Ds. l. §. 31. quem inse ipsit: „Matthaeus potuit syro-chaldaice scribere."

1) Patrum relatio de primis Matthaei evangelii lectoribus perspicue quidem cohaeret cum veteris ecclesiae sententia, uno ore propagata, Matthaeum aramaice scripsisse; quin adeo illam, ad archetypum aramaicum relatam, fide historica dignissimam habemus. Neque autem de nostro Matthaei evangelio, *graece originaliter literis consignato*, idem statuere licet. Si vero evangelium nostrum versionem archetypi illius efficeret continuam, vestigia atque indicia, lectores primos Judaeochristianos Palaestinenses designantia, certo non desiderarentur.

2) Quod quidem concedit Fritzschius V. S. in Comm. ad Matth. Prolegom. p. XVI; nihilo secius vero objicit, locis c. 22, 23. c. 27, 15. traditionem veteris ecclesiae non impugnari, cf. Comm. Ejusd. ad Matth. 22, 23.

3) in l. Hist. krit. Versuch üb. d. Entsteh. u. die frühest. Schicksale der schrift. Evv. (Leipz. 1818) p. 125.

Digitized by Google

rio Palaestinenses [4]). Huc vero accedit, quod plura in Matthaei evangelio inveniuntur loca, ad usum lectorum extra Palaestinam degentium aperte comparata. Ita e. g. c. 22, 23. Σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν· [5]) Ven. Hugius (in l. l. II. §. 2. p. 6.), cui assentitur Buslav in Ds. l. §. 23. p. 44.), contendit quidem, haec verba in usum multorum etiam Matthaei ap. popularium addi licuisse, quum hujus scholae praecepta atque instituta, quae primores et optimates, liberiori vivendi rationi indulgentes, potissimum secuti essent, in vulgus, Josepho teste [6]), nondum irrepsissent. Haec autem Viri eruditiss. sententia profecto nimis exquisita nobis esse videtur. Quum enim Sadducaeorum dogma περὶ ἀναστάσεως praeceptis eorum annumeraretur primariis, non est probabile, Judaeochristianos Palaestinenses illud ignorasse, praesertim quum Sadducaei secundum historiam evangelicam saepenumero Salvatorem impugnarent eumque irretire tentarent et jam propterea haud raro in vulgo versarentur. Porro et alia loca disertissime probant, Matthaei evangelium graecum lectoribus Palaestinensibus primum non esse destinatum, cf. 1, 23. c. 27, 8 15. 33. 46. c. 28, 15. Concedas licet, traditionem evangelicam ore propagatam, quae Matthaei evangelio subest, in Palaestina, primis cum Christianismi tum praeconii apostolici efflorescentis incunabulis, sese conformasse; qua vero sententia nullo pacto efficitur, Matthaeianum nostrum in usum lectorum Palaestinensium primum conscriptum esse. Illud enim, si graece originaliter literis consignatum est, (veluti persuasum nobis habemus), usui Judaeochristianorum Palaestinensium primum destinatum fuisse nequit. Sic itaque traditio veteris ecclesiae et hac ex parte pugnat cum indole Matthaei evangelii graeci nostri interna [7]).

§. 14.

Pauca denique dicenda nobis restant de loco et tempore [1]), quo literis consignatum sit Matthaei evangelium Quod ad locum attinet, traditio veteris ecclesiae laudat quidem Palaestinam; atqui bene animadvertendum, hoc de Matthaei evangelio graeco nostro solummodo posse valere, si aramaice originaliter conscriptum sit. Apostolo enim, Salvatoris evangelium praedicanti, pro temporum illorum ratione non

4) Cf. quae erudite hac de re disserit Schubert in Ds. laud. §. 18. p. 27. § 24 p. 31 sqq. 5) Authentiam horum verborum argumentis idoneis non posse addubitari, demonstravit Fritzschius V. S. in Comm. ad Matth. p. 661 sqq. cf. Schubert in Ds. l. §. 24. p. 33. 6) Joseph. Antiqq. Jud. L. XVIII. c. 1. §. 4. p. 871. ed. Sig. Havercamp. (Amstelod. 1726.)

7) Schottus, Vir doctiss. (in. l. l. p. 67. p 68 not. 4. p. 71 fin.) animadvertit, doceri non posse, Matthaeum solis Palaestinensibus commentarium destinasse, sed Judaeochristianis quoque extra Palaestinam viventibus. Hanc vero viam mediam ac reconciliantem cum Viro Illo S. V. non ingrediamur, quum extra scopum, opinor, Apostolorum positum fuerit, lectoribus diversarum terrarum scribere evangelium. Longe minus tamen, Matthaeum ap. in Palaestina scribentem, exteris commentarium destinasse credideris.

1) Vid. Schott l. l. p. 80 sqq.

Digitized by Google

suppeditabatur ansa evangelii Christianis externis graece scribendi — Relationes vero traditionis veteris de tempore, quo conscriptum sit Matthaei evangelium diligentius perscrutantes variis sane irretimur difficultatibus. Caute hic quoque observandum, Patrum eccles. de tempore illo testimonia tantummodo spectare ad aramaicum Matthaei evangelium ejusque scriptionem. Quum autem secundum ea, quae supra disputavimus, Matthaei evangelium graecum nostrum non sit versio archetypi illius aramaici, sed graece originaliter conscriptum, testimonium de tempore, quo hoc literis consignatum sit, exstat omnino nullum; qua de causa disquisitionem hanc ad sola indicia evangelii interna constringendam ac totam ita distribuendam esse censemus, ut separatim disceptetur de tempore, quo Matthaeus ap. evangelium aramaicum literis consignaverit et de eo, quo Matthaeianum nostrum conscriptum sit. — Duo Patrum testimonia, hic in discrimen vocanda [2]), satis indefinita sunt atque adeo inter se pugnare videntur. Irenaeus (adv. haeres. III, 1. vid. §. 3.) perhibet, Matthaeum commentarium literis consignasse Petro et Paulo Romae evangelizantibus; Eusebius vero: (h. e. III. 24.) nostrum scripsisse, quum Palaestinam derelicturus esset. Quaeritur itaque, quonam tempore Petrus et Paulus evangelium Romae praedicarint? Historia duce certiori magisque explorata (quamquam haec tota res maxima sane caligine cooperta est) non ante septimum saec. I. decennium. Matthaeus autem Palaestinam longe certo maturius dereliquit, nam, si Actorum App. sequaris relata, jam sexto saec. I. decennio Apostolorum solus Hierosolymis versabatur Jacobus [3]). Tanti porro Matthaei ap. evangelium in Palaestina praedicandi studii, quod laudat vetus traditio, in Actis App. haud obscura certe inveniremus vestigia. (vid. supra §. 1. not. 5.) Quod vero ad veteris ecclesiae traditionem attinet satis vulgarem ac dilatatam (vid testimonia ap. de Wettium in l. l. p. 177. sub lit. e.), Matthaeum evangelistarum primum scripsisse, verissima quidem esse potest, quoad refertur ad archetypum aramaicum; neque autem ad Matthaei evangelium graecum nostrum pertinet, quum evinci nequeat, hocce versionem illius esse continuam.

§. 15.

Temporis vero, quo Matthaei evangelium graecum literis consignatum sit indicia definita in ev. ipso nulla reperiri, dolemus. Hugius quidem, Vir eruditiss., plura hujusmodi indicia laudabili sane ingenii acumine detexit, (in l. l. II, §. 5.), quae vero diligentius perspecta nil certi probant. Statuit e. g. c. 27, 15 verbis: „κατὰ δὲ ἑορτὴν εἰώθει ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν ἕνα τῷ ὄχλῳ δέσμιον, ὃν ἤθελον" indicari, Matthaeum praesumsisse, lectores hanc rem, consuetudine firmatam, jam obli-

2) Nicephori enim, Cosmae Indicopl., Theophyl., Euthymii Zigabeni testimonia ab Eichhornio, (Einl. I. p. 505.) et Bertholdo (Einl. III. 1265.) laudata, minimi momenti jure aestimantur.

3) Vid. Paulus Exegetisch. Handbuch T. I. P. I. p. 30. §. 15. ubi disseruit de Act. 15, 6. 22. 23. Gal. 2, 9.

Digitized by Google

vioni dedisse, quod vero, nisi satis longum temporis intervallum praeterfluxerit, fieri haud facile potuisset [1]). Interim verba illa, ob lectores, extra Palaestinam viventes, addita esse rati, nescio an vituperandi simus (cf. §. 13.). Pari modo cap. 23, 35. allusum esse Ille contendit ad caedem Zachariae cujusdam, qui Josepho teste (bell. jud. L. IV. c 6. §. 4.) Baruchi filius brevi ante Hierosolyma eversa medio in templo innocens trucidatus sit; et c. 24, 15. Matthaeum horribilia zelotarum innuisse scandala in templo patrata (Joseph. bell. jud. L. IV. c 6. §. 3.); quibuscunque probari, Matthaei evangelium literis consignatum esse inter belli Judaici primordia et Hierosolymorum eversionem. Quod primum ad l. cap. 23, 35. attinet, in definiendo tempore, quo Matthaei evangelium conscriptum sit, vexatissimum [2]), Hugii interpretationi, quam secuti sunt b. Eichhornius (Einl I. 510.) et Bertholdus (Einl III. 1269.), optimo jure opponitur, Dominum, dum loqueretur, pro verborum cohaerentia orationeque contexta respexisse praeterita, neque vero futura. Eandem itaque ob causam caedem tantummodo Zachariae, II. Chron. c. XXIV. 19 sqq. enarratam, commemorasse potest Salvator; interim ille Zacharias non dicitur υἱὸς Βαραχίου, sed Ἰωδαὲ. Quod quum ita sit, duplex conjicere licet: aut evangelistam commutasse Zachariam prophetam cum illo, filio Jojadae, (propheta enim fuit υἱὸς Βαραχίου. cf. Zach. I, 1. 7.); aut librarium nomini Zachariae, cujus genealogiam Matthaeus non amplius designaverat (veluti Luc. 11, 51.), jam in antiquissimo evangelii nostri manuscripto, errore seductum, apposuisse: υἱοῦ Βαραχίου [3]). Lectio igitur, ab Hieronymo in Evangelio sec. Hebraeos deprehensa [4]), emendationis loco valeat, quod verissime statuit de Wettius V. S. (in l. l. p. 177 sub lit. f.). Loci autem c. 24, 15. interpretationem supra additam falsam esse, nobis quidem persuasum habemus. Hugius enim, Vir alioquin sagacissimus, haud animadvertit, l. c. non esse sermonem de facto quodam vere historico, sed evangelistam tantum respexisse ad vaticinium Danielis, sibi gravissimum [5]), tempus futurum particulis ὅταν --- τότε aperte significantem, quod etiam ex totius orationis indole satis superque elucet [6]). — Quod denique vero ad baptizandi formulam Matth. 28, 19., jam a b. Herdere (vid. Opp. T. XII. p. 24.) testimonium de scriptione

1) Cui assentitur b. Eichhornius (Einl. I. 507.) Cf. quae Hugii observationibus opposuit Paulus in l. exegetisch. Handbuch. T. I. P. I. p. 30. §. 51.

2) Imprimis laudanda sunt, quae doctiss. scripsit Theilius in diario: Winer und Engelhardt n. krit. Journal. T. II. fasc. 4. p. 401 sqq. qui alias etiam VV. DD. sententias, cum nostra dissentientes, optime retudit.

3) Idem consimiliter saltem jam probe significavit Millius in N. T. p. 52. Reprobandam vero putamus Schuberti conjecturam (in Ds. l. p. 29. not. 76.) Jojadae Barachiae quoque nomen fuisse. 4) Hieron. quaest. in Matth. 23, 35. 5) Dan. IX, 27. (coll. XI, 31. XII, 11.)

6) Verisimile quoque, si quid videmus, noster, si vaticinium illud eventu jam vidisset comprobatum, non omisisset formulam ipsi usitatissimam: ὅπως sive ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν, cf. 1, 23. 2, 6. 15. 18. 3, 3. 4, 14. 8, 17. 12, 17. 13, 35. 21, 4. 26, 56. 27, 9.

Digitized by Google

evangelii nostri serieri habitam, attinet, eandem ab aetate Apostolorum fuisse alienam, evinci sane nequit; Apostoli enim verba illa non intellexerunt formulae instar [7]). Ergo et in hisce locis temporis indicia, quo ev. nostrum conscriptum sit, exstant nulla. Locis c. 27, 8. et 28, 15. subesse videtur, inter res ibi traditas et evangelium nostrum literis consignatum satis longum temporis spatium esse praeterlapsum. Interim ex c. 24, 29. colligas licet, literis illud non esse proditum post Hierosolyma eversa, propterea quod, si post conscriptum foret, evangelista reditum Christi, tempore illo exspectatum, non evenisse, verisimiliter innuisset [8]).

§. 16.

Patrum eccl. testimoniis de Matthaei evangelio perlustratis atque examinatis evidenter patet, Matthaeum ap. non posse praedicari evangelii graeci nostri auctorem ipsissimum. Quin, traditione strictius perpensa, vetus quoque ecclesia Matthaeianum nostrum ad Matthaeum ap. ipsum nulloque interveniente non reduxit. Acquievisse potius eam in versione, quam statuebat, ab ignoto confecta, vidimus. Quum autem nostrum evangelium non sit versio textus originalis aramaici continua, sed potius graecis literis originaliter consignatum, neque vero etiam Guerikii hypothesis possit firmari, quaerimus: num Matthaei evangelium, quod hodie legimus, Matthaeo Apostolo tanquam auctori nulla omnino ratione competat, an nihilo secius ad ipsum possit reduci sensu ac nexu quodam quamvis latiori remotiorique? — Quaestioni vero huic solutu satis difficili haud spernenda, opinor, affunditur lux Evangelio sec. Hebraeos ante investigato; quod hoc loco eo libentius condonaveris, quum plura a nobis supra disputata clarius eo illustrentur, et Fr. Fischeri quoque sententia (qui Matthaei evangelium originem ex evangelio sec. Hebraeos traxisse contendit) infra sit dijudicanda. Quum autem brevitati cummaxime nobis studendum sit, atque altera parte Theologorum complures doctissimorum disquisitioni de ev. sec. Hebraeos insignem navarint operam idque temporibus recentioribus prosperrimo sane successu, ad ea tantum constringemus sermonem, quae ratione nostri evangelii habita maximi momenti esse videntur.

§. 17.

EVANGELIUM SEC. HEBRAEOS.

Dolendum re vera, quod quaestionem hanc jucundissimam ad ultimos historia duce persequi non liceat fontes; nam ante finem saeculi II. nullum exstat evangelii illius vestigium exploratum. Fragmentis in-

7) Vid. de Wettium in l. l. p. 177. sub lit. f. et scripta ibi laud. Add. Paulus Conserv. I. p. 48. 8) Vid. de Wettium in l. l. p. 177. Schott in l. l. p. 80. s. l. c, Olshausen in Comm. I. p. 14.

Digitized by Google

terim ab Hieronymo potissimum atque Epiphanio memoriae reservatis, testimoniisque Patrum eccl. de hoc evangelio disertis [1]) sedulo perpensis ventilatisque, nemo facile ibit infitias, magnam evangelii sec. Hebraeos cum evangelio Matthaei intercessisse cognationem necessitudinemque. Quaestio itaque solvenda, quaenam evangelii sec. Hebraeos fuerit origo et unde necessitudo illa oculis conspicua sit derivanda. Actum interea ageremus, totam hanc de evangelio sec. Hebraeos materiem copiosissimam sub incudem revocantes, quum ablegare commode possimus lectorem benev. ad ferrea ac praeclara Olshausenii, V. doctiss., studia [2]). Hic enim egregia probavit eruditione, *evangelium sec. Hebraeos Matthaei apostoli fuisse archetypum aramaicum inter Judaeochristianos Palaestinenses sensim sensimque corruptum atque interpolatum, ita ut duae illius circumferrentur recensiones: altera purior ac minus corrupta, qua usi sunt Nazaraei, christiani qui crediderant ex Judaeis vere catholici, altera corruptior magisque interpolata, quam receperunt Ebionitae* [3]). Si haec vero Olshausenii V. S. sententia fundamento innixa est vere historico, (veluti persuasum nobis habemus), evidenter luculenterque eadem comprobantur ea, quae accuratiori traditionis veteris ecclesiae de evangelio Matthaei perscrutatione supra instituta prodierunt. *Constabiliuntur nimirum Patrum eccl. testimonia, Matthaeum ap. evangelium consignasse literis aramaicis.* Necessitudo autem evangelii sec. Hebraeos cum Matthaei evangelio graeco nostro aperte fuit talis, ut primo quidem oblutu illud habere potueris textum hujus originalem aramaicum, re vero diligentius perpensa, satis magnam inter utrumque differentiam intercedere, haud negaveris. Inde etiam explicatur Hieronymi hac de re opinio modo firmior, modo vacillans. (Cf. Hieron. de vir. illustr. c. III. (vid. supra §. 8 not. 11) cum ceteris ejusdem testimoniis a de Wettio V. S. in l. l. p. 83. 84. laudatis). — Illa vero necessitudine, inter utrumque evangelium conspicua, optimo, opinor, jure colligitur, et **Matthaeianum graecum**

1) Fragmenta ev. sec. Hebr. collecta reperiuntur in Grabii spicileg. Patr. S. I. p. 25 sqq. et Fabric. Cod. Apocr. N. T. Part. I. p. 346 sqq. ed. II. cf. de Wette in l. l. p. 82 - 87. De evangelio sec. Hebr. vid. Emmerich Ds. de Evangeliis sec. Hebr. Egyptios, atque Justini M. Argentorati. 1807. 8. de Wette in l. l. §. 64. 65, et quos p. 89 laudavit.

2) Vid. Olshausen. in l. l. p. 65 - 90.

3) De Nazaraeis atque Ebionitis fusius disserere ob loci angustias non licuit. Cf. Mosheim de rebus Christianorum ante Constantin. M. Sect. 2. §. 38 - 40. Walch's Ketzerhistorie T. I. p. 99 - 124. J. K. Ludw. Gieseler „Ueber die Naz. u. Ebion." in l. Archiv. f. alte u. neue Kirchengesch. v. Staeudlin u. Tzschirner T. IV. fasc. 2. nr. II. p. 279 - 330. Olshausen in l. l. p. 30 - 40. p. 46 sqq. p. 46 sqq. p. 56 - 64. K. A. Credner „Ueber Essäer u. Ebioniten u. einen theilweisen Zusammhang derselben" in. l. Winer Zeitschrift f. wissensch. Theologie T. I. fasc. I. nr. 3. p. 211 sqq. et fasc. 3. p. 277 sqq. (quae vero peculiariter de evangeliis illorum in lucem proditurus erat, (vid. l. c. p. 324. not. 43.), quantum scimus, nondum praestitit). Schulthess „die Ebioniten" in ejusd. theol. Annalen. Nachrichten. Juni. 1828. p. 149 sqq. Lange „die Juden-Christen, Ebioniten u. Nicolaiten der apostol. Zeit. Leipz. 1828. Van Heyst Ds. theol. de Judaeo-Christianismo etc. Lugduni Batav. 1828. 8. Schott in l. l. p. 8 sqq.

Digitized by Google

nostram nexu cognationis quodam fuisse implicitum cum archetypo Matthaei apostoli aramaico; at nulla ratione inde efficitur, Matthaei evangelium graecum, primo Canonis loco exhibitum, archetypo huic aramaico versionis continuae instar respondisse [4]), quamvis tredecim loca parallela fragmentorum, quae supersunt, Evangelii secundum Hebraeos et Matthaeiani nostri, plus minusve conspirantia, laudare liceat. Ita ergo hocce argumentum de cognationis nexu [5]) (quem teneas quaeso) Matthaei evangelii graeci cum archetypo Matthaei ap. aramaico, ex evangelio sec. Hebraeos petitum, optime conseatire nobis videtur cum sententia supra §. 10. enuntiata, Matthaei scilicet evangelium, quod legimus, graece originaliter conscriptum esse. Interim tota haec ratiocinatio irrita redderetur sententia perversa sane, cui vero haud pauci favere videntur, *Evangelium sec. Hebraeos versionem fuisse aramaicam e Matthaei evangelio graeco nostro profectam* censentes, ad quam refellendam jam accingamur [6]). Argumenta illam reprobantia et, spero, haud contemnenda laudaverim potissimum haecce: primo jam acriter debilitari eam puto, quod nullo sustentetur testimonio historico. Deinde si evangelium Matthaei graecum in linguam aramaicam versum fuisset, idque seriori adhuc aetate, quanto quaeso facilius ipse Matthaeus, Judaeochristianus Palaestinensis, evangelium literis aramaicis consignare potuerit, praesertim quum inter VV. DD. conveniat, sermone graeco temporis successu Palaestinae vernaculam sensim fuisse depulsam. Quodsi vero Matthaeus ap. evangelium scripsit aramaice, eo ipso perquam probabilis redditur origo evangelii sec. Hebr. ea, quam supra statuimus. Tum vero etiam apte cogitari nequit, Hieronymum versionem e graeco factam in sermonem graecum ac latinum denuo transtulisse [7]). Praeterea si evangelium sec. Hebraeos versio fuisset Matthaeiani nostri, Hieronymus congruentiam in vertendo deprehendisset longe certo arctiorem. Denique autem in evangelio sec. Hebr. plures narrationes puriores ac magis authenticae exhibitae sunt, quam in Matthaeiano graeco nostro, (quod apprime aptissimeque quadrat in necessitudinem conjunctissimam illius cum archetypo Matth. apostoli aramaico); inter quas eminet enarratio Salvatoris baptismi [8]). Ad Joannis evangelium respicientibus admodum verisimile redditur, Joannem b. Jesum quidem quoad personem et de facie novisse, de officio autem ac destinatione Ejusdem Messiana subobscure tantum praesagivisse. Quid? quod in animo Domini ipsius conscientia desti-

4) Quod comparatione critica locorum singulorum utriusque evangelii parallelorum libentissime demonstraremus, nisi loci angustiae vetarent.

5) Quid de hoc nexu habendum sit, et num accuratius circumscribi possit ac definiri, infra videbimus. vid. §. 24. 6) Cf. Paulus Exegetisch. Handbuch. T. I. P. 1. p. 15. coll. p. 35. et quae verissime contra animadvertit Guerikius in l. l. p. 38 sqq. 7) Cf. Hieron. de vir. illustr. c. 2. s. v. Jacob. c. 16. s. v. Ignat. et Comm. in Matth. ad c. XII. 13. 8) Cf. Schleiermacher. V. S. in l. Krit. Versuch üb. d. Schriften des Luc. (Berlin. 1817. 8) T. I. p. 59. I. G. Müller l. l. p. 63. Hase in l. das Leben Jesu p. 58 et §. 48.

Digitized by Google

nationis illius ad claritudinem plenam nondum adoleverat; optime itaque e rerum natura legitur, conscientiam illam, dum Christus baptizaretur demum, utrique, imprimis vero Joanni b., ad persuasionem certam esse evectam. Quod quum ita sit, rem, Matth. III. 14. 15. enarratam, post baptisma demum factam esse, consentaneum est[9]); at qui idem in Evangelio Ebionitarum reperitur ap. Epiphan. haer. XXX. 13: „καὶ τότε, (scil. post baptismum et voce coelesti audita) φησὶν, ὁ Ἰωάννης παραπεσὼν αὐτῷ ἔλεγε· δέομαί σου, κύριε, σύ με βάπτισον. Ὁ δὲ ἐκώλυεν αὐτῷ, λέγων· ἄφες, ὅτι οὕτως ἐστὶ πρέπον πληρωθῆναι πάντα." qui rei ordo atque eventus certissime confirmatur Joannis evangelio (I. 32-34), quod primariam summo jure obtinet auctoritatem, imprimis in hujus rei, cui ipsum ap. interfuisse verisimile est, enarratione. Postremo tandem sententiae perversae illius fautores ad Hieronymi provocant verba: Comm. in Matth. ad c. XXVII, 16. „Iste (Barrabas) in evangelio, quod scribitur juxta Hebraeos, filius Magistri eorum interpretatur, qui propter seditionem et homicidium fuerat condemnatus." (Opp. T. IV. P. 1. p. 135.). Ingeniosissime nimirum observavit Ven. Paulus[10]), quem Theilius et Fritzschius secuti sunt, auctorem evangelii sec. Hebr., e graeco sermone vertentem, Accusativi terminationem Βαραββᾶν confudisse cum Pronomine nomini suffixo, בַּר רַבָּן cum ן nos, nostrum: = *filius magistri nostri;* nomen genuinum vero: Βαραββᾶς, בַּר־אַבָּא = *filius patris*, interpretari illum non potuisse: „*filius magistri eorum*" sc. Judaeorum. Cui observationi nimium profecto artificiosae jure opponas licet, Hieronymum in evangelio sec. Hebr. non deprehendisse Pronomen „nostri" sed „eorum." Fritzschius hac difficultate irretitus et aliam interpreti obtrudit inscitiam, nobis certe improbandam, hisce usus verbis: (l. c. p. 805.) „At quod primae personae Pronomen chaldaicum existimare debuerat (בַּר רַבָּן = filius magistri nostri), per inscitiam tertiae personae Pronomen hebraicum opinatus est (בַּר רַבָּם)". Interim ante omnia caute tenendum esse censemus, contextum nos fugere, quo Evangelium sec. Hebr. glossam illam amplificantem (cf. Olshausen l. l. p. 77.) etymologicam, quae aptissime quadrat eruditis Hebraeis, (Judaeochristianis), iisdem Hieronymi praeceptoribus[11]), exhibuerit. Veteres autem in etymologia perscrutanda non excelluisse, constat. Hic vero per falsam pronuntiationem (quae duas produxit lectiones Βαρραββᾶς et Βαραββᾶς) facile ut ita derivaret, commoveri potuit auctor. Haecce argumenta sufficiant ad commentum illud repudiandum, quamvis plura adhuc alia, nec minus pro-

9) Matthaeiana nostra relatione, diligentius perspecta, evangelistam cogitasse conjeceris, Joannem b. Jesum mira corporis statura Messiam illico agnovisse; unde haud obscure simul prodiret, scriptorem ipsum nunquam oculis conspexisse Salvatorem.

10) Paulus in Conserv. I. p. 143. coll. Theile in diario laud. T. I. fasc. 2. p. 201. Fritzsche in Comm. in Matth. Proleg. p. XIX, et Comm. p. 804 sqq. 11) Hieron. Comm. in Oseam. Opp. Tom. III. p. 1568.

Digitized by Google

beatis, superaddere nobis patuisset. Itaque quum origo Evangelii sec. Hebraeos, ab Olshausenio V. S. sagacissime indagata, nulla, opinor, ratione possit refelli, stant etiam duae illae sententiae, (ad totam nostram de origine Evangelii Matthaei quaestionem dilucidandam gravissimae): prima, quod Matthaeus ap. evangelium consignaverit literis aramaicis, altera, quod Matthaeianum graecum nostrum cognationis nexu cum archetypo illo aramaico fuerit implicitum.

§. 18.

Ut vero sententia, Matthaeum ap. evangelium aramaicum conscripsisse, a quavis defendatur invasione, ad extremum duo argumenta respexisse juvat, quae veri specie quadam reprobare illam videantur, neque tamen, diligentius perspecta, re vera refellant. Hugius nimirum et alii [1]) quaestionem, nobis saltem facillime enodandam, objiciunt, cur Peschito, versio simplex Syriaca, e graeco facta sit, neque potius e textu aramaico originali? inde colligentes, Matthaeum ap. graece originaliter scripsisse. Interim iis, quae verissime contra observavit Buslavius (in Ds. l. p. 72-74.), annumeres quaeso tria, quae sequuntur, argumenta: quo tempore [2]) simplex illa confecta est, Canon N. T. in ecclesia catholica jam ad totum quoddam conformatus ac fixus erat. (Cf. Olshausen in l. l. p. 281.) Deinde eadem illa aetate Matthaei ap. archetypum aramaicum certo jam multimodis fuit depravatum atque interpolatum. Denique vero nulla ratione probari puto, nostrum Matthaei evangelium archetypo illi versionis continuae instar repondisse. — Alteri difficultati a pluribus VV. DD. prolatae [3]), Patrum eccl., qui de Matthaei evangelio testimonia exhibuerint, neminem archetypum aramaicum vidisse contentionemque ejusdem cum evangelio graeco nostro fecisse, jam satis quidem superque satisfecit Guerikius in l. l. p. 40 sqq. Verumtamen ne, quaeso, graveris, nos etiam quantulascunque superaddidisse observationes. Re strictius perpensa optimo sane jure concedimus, eam vere ita esse habere, veluti illi contendunt. Atqui circumspecte est animadvertendum, sententiam illam, sensu latiori perversae innixam esse praesumtioni, evangelium sec. Hebraeos quoad originem non fuisse Matthaei ap. αὐθεντικὸν, quae tamen res veri speciem prae se fert maximam (vid. §. 17. in.). Quibus enim temporibus Patres eccl., §. 3. laudati, de Matthaei evangelio testati sunt, merum archetypum aramaicum nullibi certo superfuit, sed potius in duas illas Nazaraeorum atque Ebionitarum recensiones transierat, indole genuina valde corrupta ac depravata. Evangelium autem sec. Hebraeos Hieronymum imprimis et alios inspexisse et cum evangelio graeco nostro comparasse, constat. Quae tamen comparatio nullo modo fieri

1) Hug Einl. T. II. §. 11. quem sequitur Schubert in Ds. l. §. 37. p. 51 sq. 2) Vid. de Wettium in l. l. p. 14. 3) Vid. Schubert in Ds. l. §. 35. p. 51. Schott l. l. p. 72. not. 7.

Digitized by Google

potuit continua, cum scilicet merum evangelium aramaicum Patres non amplius possidebant, tum vero etiam Matthaeianum nostrum versionis continuae instar illi non respondebat. Archetypum Matthaei ap. aramaicum in Canonem N. T. non esse receptum, affatim eo explicatur, quod Canonis formatio ecclesiae graecae contigit, et illud mox inquinatum haeretici quid redoluit. Simulac vero evangelium graecum nostrum in Canonem fuit receptum, illud, auctoritate canonica destitutum, paulatim non potuit non evanescere, praesertim quum fata quoque ecclesiae et linguae vernaculae Palaestinensis interitum [4]) ejusdem necessario adducerent accelerarentque.

§. 19.

Posteaquam vero disquisitionem de origine sive authentia evangelii Matthaei usque ad hanc produximus sententiam: „Matthaeus ap. evangelium literis consignavit aramaicis et Matthaeianum nostrum cognationis nexu quodam, neque tamen tanquam versio continua, cum illo fuit implicitum:" restat, ut inquiramus, quanam gaudeat conditione evangelium graecum nostrum, ratione necessitudinis evangeliorum synopticorum habita. Necessitudo Matthaeiani nostri cum Marci et Lucae evangeliis ob consensum in rebus verbisque haud raro obvium primo obtutu apparet [1]). Illa vero quum fortuito orta esse nequeat, sed potius causam ejusdem necessarie investigemus in origine evangeliorum synopticorum, unde sit derivanda atque explicanda jure quaeritur. Verumtamen enumerandis censendisque singulis quibusque eruendae evangeliorum synopticorum necessitudinis rationibus commode supersedeamus, lectorem benev. ad alia VV. DD. scripta ablegantes [2]). Igitur insigniores paucis modo perlustrabimus, ita ut ad eam imprimis sententiam nos constringamus, quae cummaxime probabilis visa nobis est. Merito sane maxima VV. DD. pars in eo consentiunt, omnes sententias de quaestione illa publicatas, pro meris habendas conjecturis, quarum una tamen aliâ verisimilior et, verae temporum Apostolicorum cognitioni innixa, praestantior possit praedicari [3]). Viae duae primariae, quas ingressi sunt VV. DD. ad problema illud gravissimum quidem ac singulare solvendum, neminem latent: aliis statuentibus usum evangelistarum mutuum, aliis fontem communem unum vel plures; aliis denique utrumque conjunctum. A quavis

4) Alias etiam interitus archetypi aramaici causas indagavit Schmidtius in l. Einl. ins N. T. p. 36. cf. Buslav. in Ds. l. §. 32. p. 71 sqq.

1) Evangeliorum synopticorum necessitudinis rationem ac naturam optime delineavit de Wettius V. S. in l. l. p. 132–139.

2) Vid. kuinoel. Comm. in libros N. T. Vol. I. Proleg. p. 1 sqq. Gieseler in l. l. p. 30 sqq. de Wette in l. l. p. 140 sqq. Theile in Ds. I. De trium priorum evangeliorum necessitudine. Lips. 1825. 8. p. 22 sqq. imprimis vero Schottus insigni industria abundantissime collegit, quae huc spectant, in l. l. p. 33 sqq. 3) Cf. Gieseler l. l. p. 1. sqq. Olshausen l. l. p. 15.

Digitized by Google

autem conjectura haud rejicienda nostro postulamus jure, ut rationem synopticam perfecte explicet, cum quoad consensum, tum vero etiam dissensum abnormem, qui uterque deinceps in evv. synopticis saepenumero deprehenditur. Deinde historice illi est eruendum, quomodo re vera facta sit ratio ac necessitudo synoptica adhibitis testimoniis exploratis atque historicis, et ita quidem, ut conjectura non pugnet cum indole ac natura simplicitateque aevi apostolici. Denique vero et hoc tenendum est, conjecturam, quae Patrum testimonia de origine singuli evangelii synoptici non modo non reprobet, sed potius confirmet, ceteris paribus merito esse praeferendam. Primum haud pauci necessitudinem illam, explicatu difficillimam, optime enodatam putaverunt conjectura de usu evangelistarum mutuo, diversissime autem formato ac modificato, ita ut sex rationum hypotheseos illius definiendae, quinque jam celeberrimos quosque habuerint fautores ac propugnatores [4]). Interim nihilo secius illud hypothesium genus hisce potissimum angustiis irretitur et difficultatibus, quibus adducti fidem illis denegandam esse censemus [5]). Traditio veteris ecclesiae de origine evangeliorum synopticorum adversa fronte adversatur. Huc vero accedit, quod conjecturae illae observationi tantum exegeticae sunt superstructae, qua nulla ratione certa destinare licet, quemnam evangelistam priorem alius vel alii in evangeliis conscribendis necessario usurpaverint. Porro, si usum evangelistarum mutuum admiseris, non explicatur, cur evangelista, serius scribens, plura omiserit et rerum gestarum consecutionem et enarrandi rationem elocutionemque saepius deteriorem reddiderit; cujus observationis in quovis synopticorum plus minusve fieri potest applicatio. Deinde conjecturis illis dilucidatur quidem synopticorum consensus, neque ita vero dissensus eorundemque declinationes. Denique tandem ratio quaedam et norma indagari potuerit, secundum quam usus ille evangelistarum mutuus fuerit comparatus; talem vero nullibi investigaveris, quin adeo ne in Marco quidem. Hic enim, si Matthaei et Lucae evangelia decerpserit, non video, quomodo a supremae levitatis temeritatisque opprobrio liberari possit, quamvis Griesbachii, Saunier, Theilii et de Wettii auctoritatem reverenter colamus [6]). Praeterea nescio, an studium

---

4) Cf. de Wette l. l. p. 140 sqq.

5) Vid. quae contra usum synopticorum mutuum verissime disseruerunt: Schmidt in l. Einl. ins N. T §. 25 - §. 30. Halfeld de origine quatuor Evangeliorum. Gotting. 1794. 4. p. 9-39. Gieseler l. l. p. 34 sqq. Schleiermacher l. l. in introduct. p. 3 sqq. de Wette l. l. §. 83. et quos ibi citavit.

6) Griesbach in scriptis a de Wettio l. l. p. 141 s. lit. e, laudatis. H. Saunier üb. die Quellen des Ev. des Markus. Berlin. 1825. (Neque interea doctiss. Saunier, quem theologia nimis mature defunctum dolet, latuit, hypothesi ipsius haud spernendas obstare difficultates, vid. l. l. p. 182. et al.). Theile in ds. supra not. 2. c. et in diario l. T. V. fasc. 4. T. VI. fasc. 1. Quibus assentiuntur Schott in l. l. p. 34 - 38. et Paulus Exeget. Handbuch T. I. P. 1. p. 37. §. 58. De Wettius jure quidem improbat (l. l. p. 142.) Griesbachii hypothesin, interea nihilo minus p. 163 sqq. eandem conjecturam ita modificatam amplectitur, ut asseveret: Marcum memo-

Digitized by Google

evangeliorum decerpendorum cum genio indoleque aevi apostolici apte concilietur, quum aetate illa in traditione evangelica adaugenda et amplificanda narrationibusque congerendis contrarium potius manifestetur [7]).

§. 20.

Viam autem secundam illam ingressi, fontem communem conjectantes unum vel plures, a duabus steterunt partibus. Alii nimirum fontem illum communem tanquam totum quoddam evangeliis tribus synopticis fundamento fuisse putaverunt, idque aut ore propagatum, aut jam literis consignatum; alii, fontes statuendo plures, pars διηγήσεις evangelicas scriptas, pars traditiones longiores brevioresve ore factas conjectarunt, in quibus vel literis tantum consignatae vel ore tantum propagatae vel denique una mixtae synopticis fundamenti instar fuerint. Hypotheses hac parte prolatae ad problema illud singulare enodandum propius accedere VV. doctis videbantur, fore, ut sic evangelistarum synoptic. consensus aeque facile ac dissensus explicaretur, sperantibus. Clericus [1]) jam ineunte saec. XVIII. conjecit, synopticorum quemvis, a se non pendentium, scripta singula adhibuisse communia eaque diverse elaborasse. Lucae ev. prooemium [2]) sequutis jure colligere licuit, fontes illos communes, singulas scilicet de vita Domini διηγήσεις, literis fuisse consignatos. Interim hic quoque haud negligendae obvenerunt difficultates atque angustiae; ita e. g. hac ratione non dilucidabatur consimilis singularum narrationum connexio ac dispositio. Ad hanc igitur difficultatem removendam Semlerus [3]) et Lessingius [4]) ad evangelium confugerunt, quod dicunt, primitivum idemque jam literis consignatum, quod dein diversissime

---

riter tantum Matthaei et Lucae evangeliis usum fuisse; quid vero de usu hoc memoriali statuendum sit, infra §. 21. videbimus.

7) Vid. Roediger in scripto l. p. 7 not. ** Fischer l. l. p. 124. et Dav. Schulz in Schulthessii Neust. theol. Annalen, ab an. 1826 p. 503. Haereticos vero Marcionem, Ebionitas et id genus alios, causis dogmaticis obstrictos, scriptorum evangelicorum partes decidisse, nil contra probat. Neque magis valet Augustini observatio exegetica non amplius culta: „Marcus Matthaeum subsequutus tamquam pedissequus et breviator ejus videtur," (De consensu evangelist. L. I. c. 2. §. 4. ed. Benedictt.) ad conjecturam illam sustentandam, quod verissime observavit Schulthessius in Wachleri theol. Annalen an. 1823. mens. Decembr. p. 1117. cf. Gieseler V. S. in l. l. p. 34.

1) Clericus Histor. eccles. p. 429. 2) Luc. I. 1 sqq. Vid. Fischer in l. l. p. 111 sqq. Roediger l. c. p. 6 not. †, ubi rectissime repudiavit Ven. Pauli sententiam (in Conserv. I. p. 124 sqq. et in l. ejusdem Exegetisches Handbuch über d. drei ersten Evv. (1830.) T. I. P. 1. p. 11 sqq.), quod illi πολλοὶ traditionem evangelicam non scribendo, sed loquendo in ordinem digesserint. Vid. Schott Isagoge p. 40 sqq. sub lit. d., coll. p. 8. et Ejusd. Progr. *„De prooemio evangelii Lucae, ejusque usu in quaestione de fontibus evangeliorum tractanda."*. Jenae 1828 4. Olshausen in Comm. laud. T. I. p. 73 sqq. 3) Semler Anmerk. zu Townsons Abhandl. üb. die vier Evv. 1783. 4) Lessing theol. Nachlass. Vermischte Schriften VI. 50.

Digitized by Google

definierunt VV. docti. Lessingius in Evangelium sec. Hebraeos, Corrodius [5]) in archetypum Matthaei ap. aramaicum incidit. Verumtamen, quum illis temporibus de Evangelio sec. Hebr. et archetypo Matthaei ap. eorumque necessitudine ac vera indole parum scirent, conjecturae, modo laudatae, accurate enodateque explanari nequierunt. Quae quum ita essent, Eichhornius et postea Herbertus Marshius evangelium illud primitivum non amplius historice finierunt, sed potius operationis exegeticae ope construere adorti sunt [6]). Interea non hujus foret loci hypothesin Viri Illius, immortalis memoriae, accurate adumbrare ac ventilare; monuisse sufficiat, Eichhornium insigni quidem maximeque admirando ingenii acumine hypothesin suam excoluisse, eandemque laude esse dignissimam, quippe quae omnes angustias difficultatesque, in problemate illo solvendo obvias, perfecte removere ac dissipare valet, at si fundamentum ejusdem historicum perlustrare susceperis, nullum omnino deprehendes. Itaque ergo temporibus recentioribus VV. DD. plurimi, opinionum antecaptarum imperio haud praepediti, de illa conclamandum esse merito statuerunt [7]).

§. 21.

Rejecta igitur hypothesi illa Eichhorniana VV. docti, genio, indole ac natura cum vetustatis Christianismi, tum vero etiam ipsorum evangeliorum synopt. verius indagatis, ad sententiam et exploratam et satis notam nuper redierunt, quod evangelii propagatio originaliter fuerit ore facta, ac quod in evangeliis synopticis transitus traditionis in scriptionem ex parte adhuc sit conspicuus [1]). His itaque similibusque animadversionibus innixi conjecerunt VV. docti evangelium primitivum ore propagatum, quod doctissime percoluit Gieselerus V. S. in l. l. Infitias quidem ire nequeas, jam in traditione evangelica, imprimis graeco sermone propagata, aequabilitatem quandam conformatam esse, quod infra statim paucis edocebimus; attamen congruentia et necessitudo, in evangeliis tribus synopticis perspicua, aperte ita comparata est, ut quoad elocutionem graecam potissimum ex traditione ipsa, aequabiliter ore propagata, directe explanari nequeat, sed potius scripta evangeliis synopticis communia expostulentur

5) Corrodi Beleucht. d. Gesch. des jüd. und christl. Bibelkanons. T. II. p. 150 sqq.

6) Primum Eichhornius hypothesin laudatam in lucem prodidit in l. Allgem. Bibl. f. bibl. Lit. T. V. p. 759 sqq. (1794); deinde vero secundum Marshii animadversiones eruditissimas castigatam publicavit in l. Einl. ins N. T. Tom. I. 1804. H. Marsh Abhandl. üb. die Entstehung u. Abfassung uns. ersten drei kanon. Evv. in Anmerkk. u. Zusätzen zu I. D. Michaelis Einl. übers. v. Rosenmüller. Götting. 1795. 1803. 4.

7) Eichhornii hypothesin dijudicarunt Paulus in Conserv. I. p. 1-51 pl. II. Gieseler in l. l. p. 42 sqq. Hug Einl. p. 76 sqq. ed. 2. Schleiermacher in l. l. p. 3 sqq. de Wette Einl. §. 85. p. 146 sqq. ed. 2.

1) Vid. de Wette in l. l. p. 148.

Digitized by Google

necesse sit. Ut igitur ex hisce expedirentur angustiis VV. docti, hypothesin excogitarunt hanc: statuerunt nimirum, scripta singula quaedam communia evangeliis tribus synopticis fontium instar subfuisse, quae verisimillime ex fonte communi, ore propagato, in quo aequabilitatis elementum jam formari coeperat, promanarint; quam viam primum prosperrimo sane successu ingressus est Ven. Paulus[2]), deinde Schleiermacherus[3]) et de Wettius[4]) VV. SS.; interim triumviri Illi de nexu evangelii ore propagati cum scripto inter se dissentiunt, quin adeo de Wettius V. S. hypothesin de usu Synopticorum mutuo, quanquam modificatam, recepit sic, ut contendat, Matthaei et Lucae evangelia ex fonte communi ore facto profluxisse, Lucam vero Matthaei evangelium, prius literis consignatum, memoriale in modum et eo ipso plus minusve accurate usurpasse, et Marcum eadem ratione Matthaei et Lucae evangelia ante oculos habuisse. Verum enimvero Roedigeri verba contra enuntiata et, opinor, verissima laudare liceat l. c. p. 4. „Sed tamen hanc vim tam titubanter exposuit Vir Summus, ut me quidem prorsus incertum reliquerit, qualis ea fuerit: memoriter autem usum fuisse alium alius verbis, nonnisi in angustias adductus contendit. Neque video — si talem usum admiserimus — quomodo levitatis opprobrium a Marco et Luca averti possit, quod quidem Griesbachianae conjecturae ejusque similibus ipse V. S. opposuit." (vid. §. 19. not. 6.)[5]).

§. 22.

Hypothesibus vero hisce diversissimis strictim perlustratis, jam ad eam, quae nobis maxime probabilis visa est, proferendam accingamur. Quae autem nostra hac de re sententia ut melius intelligatur fiatque dilucidior, haud alienum esse duximus, pauca praemittere de indole ac natura traditionis evangelicae. Est quidem fatendum, et traditionem evangelicam ex ipsius traditionis natura, inconstantem fuisse, variam et multiformem; sed altera tamen ex parte negari nequit, aequabilitatem quandam similitudinemque necessario paene in eadem mox esse conformatam[x]). Partim enim in longiori narrationum serie quaedam eminuerunt res, quas nemo, qui Jesum esse Messiam diu exspectatum erat praedicaturus, commode apteque omittere po-

2) Paulus in Allg. Lit. Zeit. an. 1813. nr. 105. 106. Conserv. I, p. 123 sqq. et Comment. in N. T. pl. II. Cf. Paulus Exeget. Handbuch. T. I, P. 1. p. 16. p. 23. §. 42. p. 25. §. 47. p. 29. §. 48. p. 57 - 59.

3) Schleiermacher in l. krit. Versuch üb. die Schriften des Lukas. T. I. Berlin. 1817.

4) De Wette in l. l. p. 149 - 173.

5) Aliam hypothesin publicavit Rettigius nostra sententia reprobandam in l. Ephemerides exegetico - theologicae, Giessae. 1824. fasc. I, De IV evv. canonicor. origine. Vid. Leipz. Lit. Zeit. an. 1826 nr. 237. cf. quae imprimis col. 1891 sqq. hypothesi V. doctissimi opposita reperiuntur, et in l. diario: Winer u. Engelh. n. krit. Journ. T. II. 1824. fasc. 4. p. 470 sqq.

1) Vid. Gieseler in l. l. p. 82 sqq. p. 92 sqq.

Digitized by Google

tuit, miracula dico insigniora a Domino patrata, ipsius et mortem et resurrectionem; partim vero etiam bene quaeso animadvertas, traditionem evangelicam ab apostolis potissimum ipsis, Viris veri amantissimis, profectam esse. Quicunque eorum unam eandemque rem fide historica dignissime enarrare sedulo studuit, hanc curam vel ad ipsissima Salvatoris verba [2]), significantiora praesertim saleque perfusa (e. g. Matth. 8, 22. Joan. 2, 19.), extendens. Praeterea huc referatur narrationum consecutio historica, in rerum gestarum ordine chronologico fundata, quam, qui continenter erat narraturus, haud facile non servare potuit. Deinde idem omnibus fere narrationibus subfuit consilium, demonstrandi scilicet, Jesum esse Christum, Messiam diu totoque animo desideratum. Adde, quod in narrationibus hisce evangelicis, Jesum esse Messiam declarantibus, deductionum apologeticarum instar saepenumero fuit recurrendum ad vaticinia V. T., Domino adimpleta; quorum quaedam erant tam mirabilia tantique momenti, ut praetermitti prorsus non possent. Denique vero et hoc tenendum, primos Christianismi doctores, apostolos aeque ac evangelistas, maximam partem natu fuisse homines e multis, nec bene cultos neque eruditos, quippe qui, narrationum rhetorice exornandarum multimodisque variandarum incuriosi, simplicissime cogitata simpliciter traderent [3]); quam rem linguae Aramaicae indoles optime adjuvit. Haec ergo et adminicula permulta alia vim habuere haud exiguam ad aequabilitatem illam in traditione evangelica efficiendam. Verumtamen prinsquam traditio illa scriptis mandata esset, varium ac multiforme traditionis genus praevaleret necesse fuit; simulatque illa vero literis passim consignata est, et collectiones narrationum evangelicarum effatorumque Salvatoris e sola traditione ore propagata directe haud amplius prodierunt, sed partim jam scripta, traditionis varietatem illam ejus aequabilitate similitudineque superari oportuit. Quae quum ita sint, testimoniaque veteris ecclesiae una contestentur, Marcum et Lucam ex traditione evangelica hausisse [4]), (quod interna etiam trium priorum evangeliorum indole luculenter firmatur), altera vero ex parte hypothesin de usu evangelistarum mutuo prorsus rejiciendam esse censeamus, haec nobis maxime probabilis esse videtur evangeliorum synopticorum origo.

§. 23.

Fontem, unde priores tres evangelistae in commentariis conscribendis hausere, dupliciter comparatum fuisse arbitramur. Primum

2) Vid. Waehneri antiqq. hebr. T. I. §. 25. p. 253. Judaeos illius aevi omnino assuetos fuisse verbis magistrorum memoria fida reponendis, et Apostolos Domini verba maxime fetisse (cf. Joan. 6, 66 sqq.), satis notum est. Cf. Schabath fol. 15, 1. I. G. Rosenmüller historia interpret. libr. sacr. in eccl. christ. P. 1. p. 79–101.

3) Vid. C. G. Küchler de simplicitate scriptor. sacr. in commentariis de vita I. C. Commentatt. I. Lips. 1821. II. 1827. et Censuram Commentatt. in Zimmermanni Allg. Kirch. Z. 1828. T. I. Lt. Bl. nr. 17. p. 130 sqq.

4) Scilicet hanc saltem sententiam ex Patrum eccl. testimoniis de origine Evangeliorum

enim materiem illis suppeditavit traditio evangelica communis, ore propagata. Quo enim tempore Synoptici ad scribendum se contulerunt, traditio haec, in coetibus Christianorum vetustissimis dilatata, jam ad totum quoddam quoad circuitum et res in vita Domini praecipuas fuit conformata, sermone graeco et aequabilitatis virtute supra §. 22. laudata, jam praevalentibus[1]). Quem vero fontem communem, ore propagatum, non sufficere ad Synopticorum necessitudinem, ad singula usque verba haud raro extensam, enodandam, §. 21. indigitavimus. Qua re pars fontis secunda haec nobis esse videtur. E Lucae prooemio (vid. §. 20. not. 2.) satis evidenter procedit, traditionem illam evangelicam (κήρυγμα ἄγραφον) admodum mature in scriptionem (παράδοσιν ἔγγραφον), primordio verisimiliter fragmenta solummodo singula, sensim sensimque demum in majores minoresve particulas congesta, amplexam transiisse. Scriptio vero aequabilitatem similitudinemque traditioni evangelicae, ore nihilo secius se adhuc propaganti, constantius etiam firmiusque insinuavit, ita ut, posteaquam per satis longum temporis spatium traditio in scripta illa suam exercuerat vim, et scriptio parte altera traditionem invicem aequabiliorem reddiderat constantioremque, unum quodque evangeliorum synopticorum, aliud de alio omnino non pendens, conscriptum, elocutio autem et compositio ex singulo cujuscunque ingenio ac proposito peculiaris nobis videatur. Quaestio igitur arti criticae superiori solvenda diligentiusque investiganda injungitur, quaenam singulae ac quales fuerint evangelii cujusque partes originales atque, ut ita dicam, fundamentales. Attamen in hac disquisitione, solutu sane difficillima, candide ingenueque est fatendum, datorum inopiâ historicorum perscrutationem partium illarum fundamentalium certo explorateque fieri omnino non posse, sed tantummodo ad verisimilia accedere atque adpropinquare.

§. 24.

Quodsi ergo quodcunque evangeliorum synopticorum ob internam eorum necessitudinem in universum eodem modo ac ratione literis est consignatum, et in Matthaei evangelio graeco nostro collectionem conspicimus traditionum evangelicarum, partim ore propagatarum, partim jam literis mandatarum, peculiariter digestam et elaboratam, ita ut consimili utatur conditione, qua Marci Lucaeque evangelia, jure nobis objicient VV. docti: quomodo tandem, admissa illa hypothesi, cognationis (quam supra §. 17. indagavimus) evangelii nostri cum Matthaei ap. archetypo aramaico nexus se habet? — Dolendum re vera

Marci et Lucae (vid. de Wette in l. l. p. 179 sqq. sub lit. b, et p. 183. sub lit. e) enucleari posse putemus, quum Petri et Pauli App. praeconii evangelici vestigium disertum in evangeliis illorum reperiatur nullum.

1) Interea aequabilitas illa certo jam in dialecto Aramaica, quamdiu doctrina Christiana exiguis Palaestinae finibus continebatur, formari coepit.

Digitized by Google

(sic nimirum difficultati modo propositae satisfaciendum esse putamus), quod nexum illum, datorum historicorum subsidiis penitus destituti, dilucide depingere perspicueque definire nequeamus. Matthaei vero archetypum aramaeum evangelio Matthaeiano graeco, veluti cuique synopticorum (nam propter indolem eorundem internam consimilem, ad unum quodque nexum illum extendamus necesse est), quadam ratione fundamenti instar subfuisse, summam prae se fert verisimilitudinem. Nexus ille Matthaeiani nostri, vidimus, investigatione Evangelii sec. Hebraeos vere historica comprobatur, quin adeo vestigia in eodem hoc evangelio exstare videntur, quibus idem de Lucae evangelio haud obscure firmetur, (cf. Luc. III, 1 sqq. III, 23. XXII, 15. XXIV, 39. et loca parallel. evangelii sec. Hebr. apud de Wettium V. S. in l.l. p. 83. 86. 87.). Quod autem nexum, quo nostrum Matthaei evangelium cum archetypo illo aramaico verisimile fuit implicitum, ob altam caliginem antiquissimae Christianismi aetati offusam et propterea, quod ipsum hebraicum[1]) temporum invidia nobis intercidit, clarius dilucidare nequeamus, non probat, nexum laudatum nunquam locum habuisse[2]). Itaque et nos, Ven. Lückii auctoritate adjuti[3]), in sententia illa indefinita libenter immoramur, quum in eadem tum ars critica superior cauta et circumspecta, tum vero etiam ecclesia evangelica acquiscere commode possit, quod sectione III. probare suscepimus. Interim juventuti, theologiae primordiis vix imbutae, et ad conjectandum se invita nimium propensae ac proclivi, hypothesin condonaveris, quae ad nexus illius rationem paulo distinctius circumscribendam probabilitate haud destituta visa est nobis. Conjectamus nimirum, archetypum Matthaei ap. aramaeum, certo jam perquam mature literis consignatum, et, ut ita dicam, evangelii scripti primitias, gravem ac primariam exercuisse vim ad traditionem evangelicam, quae Synopticis fundamento subfuit, excolendam conformandamque, ita ut archetypo illi quasi fuerit superstructa. Deinde simulac doctrina christiana et ad alias transierat gentes, traditio, aramaeo sermone propagata, in graecam commutaretur necesse fuit; qua de causa Matthaei ap. evangelium aramaicum eodem fere tempore pluries (vid. §. 11.) in graecum sermonem translatum fuisse, verisimile est. Itaque hae plures versiones vim archetypi illam continuarunt forsan, donec traditio evangelica ita tandem fuit comparata, quali priores tres evangelistae, ratione §. 23. nobis indagata, usi sunt. Verumtamen missam faciamus sententiam, quam meris hypothesibus annumeratam velim.

---

1) Quid de evangeliis, quae supersunt, hebraicis, statuendum sit, vid. supra §. 6. not. 2.

2) Hac ergo de causa et ob alias de Wettii V. S. sententiam (in l.l. p. 175.), „Patrum eccl. relationem de archetypo Matthaei ap. aramaico nullius amplius esse momenti, quia evangelium Matthaeianum non sit versio, sed graecis literis originaliter mandatum", perversam praedicaverim. Vid. Censorem l.l. anon. in Hallische Allg. Lit. Zeit. an. 1828. nr. 187. col. 646.

3) Vid. Götting. gel. Anz. an. 1830. nr. 48. p. 477. 478.

Digitized by Google

Verum enimvero disquisitione, hucusque perducta, luculenter efficitur, Matthaei ap. evangelium aramaicum Matthaeiano nostro, graecis literis originaliter consignato, quadam ratione fundamenti instar subesse, cognationis nexu, nobis haud amplius dilucidando, inter utrumque intercedente, neque tamen tam arcto, ut evangelium nostrum tanquam versio continua archetypo illi respondeat. Sic ergo authentia commentarii nostri sensu quidem strictiori pessumdatur, latiori vero necessario servatur ac defenditur.

§. 25.

Quae quum ita sint, Roedigeri conjectura (l. c. p. 9 not.): „Quid? si Matthaeiani evangelii conscriptionem ab homonymo quodam profectam esse statuamus — uti Doederlinus de Jesaiae capp. XL - LXVI opinatus est, (cf. ejus Praef. ad Jes. ed. 3. p. XV.) id quod Gesenio V. S. non displicet," assensum ferre nostrum nequit. Erravit quidem vetus ecclesia in eo, quod Matthaei evangelium graecum archetypi aramaici putavit versionem, sed hic ipse error solummodo spectat ad rationem nexus, quo illud Matthaeo competat, dignoscendam recteque finiendam. Eadem hac observatione Guerikii explanatur animadversio (l. l. p. 25.), cur nimirum vetus ecclesia Matthaeianum nostrum Matthaeo apostolo assignaverit, nec potius Petro, Jacobo aut alii viro apostolico. Illud scilicet re vera Matthaeo apostolo summo quasi jure tribuere licuit, dumne tanquam auctori ipsissimo. Porro vero etiam jam a priori animum difficile induxeris, veterem ecclesiam in Canone N. T. formando tam arbitrario incurioseque egisse, ut Matthaeo ap. evangelium adscripserit, nullo prorsus pacto ipsi conveniens. Eadem deinde quonam modo in nexus illius ratione definienda commode seduci potuerit, haec habeto. Persuasissimum veteri fuit ecclesiae, Nostrum consignasse evangelium literis aramaicis. Quid tandem quaeso magis consentaneum, quam versionis sententia: quam facile praeterea, ob versiones archetypi istius plures, aetate Christianismi antiquissima circumlatas (vid. §. 11.), et Matthaeianum nostrum versio talis haberi potuit? Reputa denique, archetypum illud aramaicum, exiguis Palaestinae finibus circumscriptum, atque non ita multo post interpolatum et depravatum, neque ad conferendum Patribus eccl. a manu fuisse, neque eosdem propter linguae aramaicae inscitiam comparationem instituere valuisse. Qui vero factum sit, ut evangelium nostrum, pluribus illis versionibus false annumeratum, ceteris praetulerint, certo destinari nequit; sive nomen inclytum auctoritatem illi vindicavit, (tum autem hoc nomen memoriâ fuisse servatum, credideris), sive praestantia interna atque amplitudine, quae in primis Christianorum vetustissimorum votis fuit, ceteris antecelluit. Simulatque autem commentarius noster Canoni adscriptus in eoque stabilitus erat, versiones illae, in usum haud amplius conversae, mox certo interierunt. Vid. Olshausen. in l. l. p. 91. coll. Comm. ejusd. l. T. I. p. 13.

Digitized by Google

§. 26.

Ad ultimum tandem in calce sectionis primae triumvirorum sententiae explicandae dijudicandaeque nobis restant, Orellii dico, Fr. Fischeri et Wilkii, quas, si antecedentibus interseruissemus, argumentationem interruptam aegre tuleris. Orellius commentarii Matthaeiani originem l. c. verbis adumbravit hisce: „eadem fere ratione, qua Marcus Petri, Lucas Pauli sectator ad evangelia conscribenda animum appulerunt, duo item Matthaei discipuli, alter Aramaico sermone, alter Graeco in usus Christianorum ex Judaeis, traditionem ab illo acceptam literis videntur consignasse." Verum enimvero pro iis, quae supra exposuimus, hypothesin istam nimis profecto hypotheticam testimoniaque historica acerrime laedentem dicamus; relatio enim illa, ipsum Matthaeum ap. evangelium literis consignasse aramaicis, arte critica verius administrata, in dubitationem revocari nequit. — Fischerum quoque authentiam evangelii nostri impugnasse, jam supra indicavimus. Conjecit nimirum, (praemissis quibusdam argumentis, quae D. Schulzius investigavit, internis), evangelium Matthaei originem traxisse ex Evangelio sec. Hebraeos[1]). Praemonuit ille (l. l. p. 115.), prologo commentarii Lucae praejudicium jam excitari haud contemnendum, quoniam Lucas evangelium non invenisse testetur Apostoli alicujus, sed tantummodo scripta, hausta ex traditione Apostolorum, ore propagata. Verumtamen missum faciamus argumentum pro temporum Apostolicorum indole ac natura (vid. §. 2. not. 5.) fidei nimium sane incertae, praesertim quum evidenter probare non possis, evangelium Matthaeianum Lucano prius fuisse consignatum. — Quod vero ad Patrum testimonia de archetypo Matthaei aramaico (§. 3. nobis laudata) attinet, cum Hugio (Einl. II. p. 16 - 43.) et aliis, contra quos §. 8. disputavimus, rejicienda esse censuit Fischerus (l. l. p. 117 sqq.), ita tamen, ut relationem illam de textu originali aramaico ad solum sec. Hebraeos Evangelium reducendam esse contendat. Fischerus itaque de archetypo Matthaei aramaico actum esse opinatus, consimili irretitur errore, quo Hugius, et ea ipsa de causa perversam quoque sibi formavit sententiam, cum de evangelio sec. Hebraeos, tum vero etiam de Matthaeiano nostro. Primum videlicet mirum in modum (§. 44.) probare suscepit, Matthaei evangelium graecum nostrum, quoad originem et partes, ut ita dicam, fundamentales idem fuisse, quod Evangelium sec. Hebraeos. Ad commentum hocce firmandum observat, „Christianos certe Palaestinenses ita retulisse", (coll. Hieron. dial. contr. Pelag. III, 2. et Comment. in Matth. XII, 13.) ac posteaquam p. 118 - 120. plura commemoravit de Nazaraeorum et Ebionitarum vetustate eorumque evangeliis, — quae quidem Olshausenio auctore singulis in rebus longe verius exponi debuissent —, p. 121. Patrum testimonia excitare pergit, sententiae suae luculenter,

1) Similiter jam statuisse Lessingium, quem Niemeyerus, Weberus, Thiessius et Venturini multimodis secuti sunt, (vid. Gieseler. in l. l. p. 39. coll. de Wettio in l. l. §. 84 in. et sub lit. a,) supra § 20. memoravimus.

Digitized by Google

ut putat, suffragantia: Iren. adv. haer. I, 26, 2. „Ebionaei solo eo, quod est sec. Matthaeum, evangelio utuntur", coll. III, 11, 7. ubi idem reperitur. Epiphan. haer. XXIX. §. 9. Ἔχουσι δὲ (Nazaraei) τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον πληρέστατον ἑβραϊστί. Origen. ap. Euseb. VI, 25. et Euseb. III, 24 (vid. supra §. 3.). Praeterea opinatus est ille, evangelium Matthaei hebraicum, quod Papiae, Eusebio teste (h. e. III, 39.), innotuerit, evangelium sec. Hebraeos fuisse, praesertim quum historiam περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ κυρίου, inde exhibuerit Papias [2]); Origenem et Eusebium distinxisse quidem evangelium sec. Hebr. a Matthaei evangelio canonico, bene vero etiam distinguere licuisse, quod ex paucis evangelii sec. Hebr., quae supersunt, fragmentis eluceat, et eandem ob causam utrumque evangelium quoad originem solummodo idem fuisse. Eximiam vero intercessisse cognationem evangelio sec. Hebraeos cum Matthaeiano nostro, Hieronymi persuasione evidentissime firmari, qui, quum utrumque evangelium ante oculos habuerit, mox Judaeochristianorum Palaestinensium sententiae fidem denegare nequierit eamque ipse probarit, (de vir. illustr. c. III.) „sibi a Nazaraeis ipsum Matthaei hebraicum describendi facultatem fuisse" dicens, mox interim vacillaverit. Quibus praemissis colligendum esse putat Fischerus (p. 122.), Matthaei commentarium graecum ex evangelio sec. Hebr. prodiisse: ob differentias vero inter utrumque evangelium obvias porro esse statuendum, „dass unser griechische Matthaeus keine bloſse Uebersetzung, sondern eine auf den Geniús der abendländischen Kirche berechnete Redaction des Hebraeer Evangeliums war", et ita quidem, ut, quicunque evangelium sec. Hebr. redigendum curaverit, loca, quae offensioni esse potuissent (veluti e. g. „ἄρτι ἔλαβέ με ἡ μήτηρ μου τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν μιᾷ τῶν τριχῶν μου, καὶ ἀπήνεγκέ με εἰς τὸ ὄρος τὸ μέγα Θαβώρ"), omiserit [3]). Clarius etiam dilucidiusque Fischerus sententiam suam professus est p. 122 sqq., de fontibus disserens evangeliorum synopticorum communibus. Quum scilicet in evangelio Ebionitarum (quod ille in universum autumat idem, quod evangelium sec. Hebr. sive Nazaraeorum, vid. p. 120.) initio omnes Apostoli (ap. Epiphan. haer. XXX. 13.) loquentes introducantur, id factum esse contendit, ut probaretur, titulum hujus evangelii „secundum XII Apostolos" haud arbitrarium esse ac fortuitum, sed potius evangelium originem trahere ab omnibus Apostolis, qua re significari verisimile sit, idem illud ex singulis fragmentis, secundum evangelicam omnium Apo-

2) Vid. quae verissime contra observavit Olshausenius in l. l. p. 21 sqq.

3) Origen. Comm. in Jerem. homil. XV. Opp. Vol. III. p. 224. Comm. in Joann. T. II. Opp. Vol. IV. p. 63. ed. c. Neque interim cum Fritzschio (vid. Comm. in Ev. Matth. Prolegom. p. XIX.) et aliis hunc locum ineptiis annumerandum censuerim, nam orationis contextus nos fugit. Veram ejus interpretationem exhibuit Olshausen. in l. l. p. 67 not. 2. Laudare liceat candida sane Hieronymi verba: (Comm. in Jes. Opp. T. III. p. 304.) „Nemo in hac parte scandalizari debet, quod dicatur apud Hebraeos spiritus generi foeminino, quum nostra lingua appelletur genere masculino, et graeco sermone, neutro. In divinitate enim nullus est sexus."

Digitized by Google

stolorum traditionem literis mandatis, esse conflatum. Respiciens deinde ad ea, quae p. 111 sqq. de Lucani evangelii proœmio exposuerat, verisimillimum sibi videri, asserit, scripta singula, quae collegerit et digesta in commentarium conscripserit Lucas, fuisse eadem, quibus postea evangelium sec. Hebraeos, et indirecte dein Matthaeianum nostrum confecta sint. Quam conjecturam fragmentis Evangelii sec. Hebraeos, peculiarem interdum congruentiam cum Lucae evangelio (coll. Paulus exeget. Abhandl. p. 25.) prodentibus, cummaxime firmari putat. Ac si ipsi forsan objicias, ait, neque tamen hypothesi hac de singulis scriptis syrochaldaicis affatim explanari elocutionis graecae consensum, superaddas commode licere sententiam, auctorem evangelii nostri commentarium Lucae inspexisse. Evangelium vero sec. Hebr. in Matthaeianum redactum esse oportere ante medium saeculum secundum (?!), quo tempore praeterlapso evangelium nostrum jam Romae innotuerit.

§. 27.

Jam vero paucis videamus, quid de hac Fischeri sententia, strictim exposita, statuendum sit. Primum vir ille doctiss. vituperatione, quod scripta Olshausenii imprimis aliorumque praeclara omnino non respexerit, quin, si quid videmus, ne legerit quidem, liberari non posse videtur. Quamvis nos quoque Olshausenii sententiae, cum priori, tum recentiori de evangelii graeci nostri origine, assentiri nequeamus, ille tamen tanta sollertia atque eruditione veteris ecclesiae testimonia historia sola duce excussit ac ventilavit, ut harum demum disquisitionum ope adhibitisque argumentis internis, viam firmiorem magisque munitam ingressi, de Matthaei evangelio verius judicare valeamus. Porro satis arbitrario Patrum de archetypo Matthaei aramaico relationem, quam supra, tanquam vere historicam, a dubiis qualibuscunque sufficienter vindicasse arbitramur, ad solum ev. sec. Hebr. restrinxit. Praeterea nullo, opinor, pacto evincas, Matthaeianum nostrum quoad originem idem fuisse, quod Evangelium sec. Hebr., eo nimirum sensu ac modo, quo Fischero placuit; testimonia ipsi laudata recte solummodo intelliguntur, si originem evangelii sec. Hebr. admiseris eam, quam supra §. 17., Olshausenio auctore, statuimus. Denique tandem et in evangelii sec. Hebr. genesin ac formationem incidit ille nimis temerariam adminiculisque certioribus penitus destitutam. Nam inscriptione „evangelium sec. XII. Apostolos" serius demum illud ornatum fuisse videtur ab Judaeochristianis Palaestinensibus, fortasse Matthaei nomine simplici, jure quodam illi conveniente, haud contentis, sed omnium potius Apostolorum auctoritatem in idem illud translaturis. Quod vero ad exigua illa necessitudinis vestigia evangelii sec. Hebraeos cum Lucano attinet, eadem longe rectius derivanda esse duco e nexu, evangeliis tribus synopticis cum archetypo Matthaei aramaico, quod in evangelium sec. Hebraeos postea degenerasse observavimus, intercedente (v. §. 24.). Reputa dein, evangeliis tribus synopticis scripta subesse evangelica, jam e graeco sermone profecta, evangelium

Digitized by Google

vero sec. Hebraeos literis aramaicis originaliter esse consignatum, vid. §. 17. Fischerum denique Synopticorum congruentiam elocutionis graecae valde precario explicasse, nemo non intelligit; concessa enim ejus hac de re sententia, scriptor commentarii nostri eo tantum consilio Lucanum usurpasse videretur, ut facultatem synonymorum excogitandorum pusillam jactaret. Ad ultimum tandem quibus quaeso argumentis probetur, Matthaeianum nostrum tam sero in lucem prodiisse [1]). Tempore vero, quo evangelium sec. Hebr. narrationibus effatisque, quae offendere poterant, fuit depravatum, nemo facile ausus sit evangelium inde conficere in usum ecclesiae catholicae occidentalis, quae eadem illud in Canonem non recepisset.

§. 28.

Longe aliam viam ingressus est Wilkius, Vir eximiae sollertiae, conjiciens nimirum (l. l. p. 73 sqq. coll. p. 78. 86), Matthaeianum nostrum ortum esse ex amplificatione evangelii Marci. Eorum causa, quae supra §. 19. exposuimus, jam praesagies, et hancce hypothesin plausum ferre non posse nostrum. Ex omnibus interim viri doctiss. animadversionibus aperte conspicitur, illum haud paucis in rebus multo verius statuisse, quam plures alios. Illius enim hypothesi innuitur quasi, quod jam b. Storrius [1]) consimiliter sensisse videtur, Marcum evangelistam, una cum Joanne ap. proxime accedentem ad fontem merum apostolicum et a Matthaei evangelio nulla ratione dependentem, traditionem Synopticorum evangelicam exhibuisse purissimam ac maxime genuinam. Perspexit ille praeterea temporum apostolicorum naturam, nullibi resecantem, sed ubique potius addentem [2]). Denique vero sagacissime a Wilkio observata nobis quidem persuadent, auctorem commentarii nostri traditionem evangelicam, et scriptam et ore propagatam, liberius [3]) tractasse atque in formam infudisse, viro apostolico Judaeochristiano accommodatam. Itaque verba ejusdem p. 74. „Wir „finden an den meisten Stellen, wo Matthaeus reicher und vollständi-

1) Vid. §. 15. Cf. Olshausen. in l. l. p. 85. p. 419 sqq.

1) G. Chr. Storr de fonte Evangeliorum Matthaei et Lucae. Tübing. 1794. 4. recus. in Commentatt. theol. ed. Velthusen etc. T. III. p. 140 sqq. et Idem in l. Ueber den Zweck der ev. Gesch. u. d. Br. Joh. §. 58-62.

2) Vid. supra §. 19. fin. Pari modo jam statuit b. Herderus in Opp. Tom. XII. p. 15.

3) In hanc partem interpretanda arbitramur, quae a Wilkio p. 83 sqq. commemorata reperiuntur, Matthaeum scilicet interrogationes haud raro inseruisse, ubi in ll. Marci et Lucae parallelis nullae deprehendantur (vid. exempla l. c. laud.), eundemque narrationes saepenumero dialogorum forma ornasse (cf. Matth. 22, 41-46. coll. Marc. 12, 35-37. Luc. 20, 41-44; Matth. 17, 25. 18, 12. 21, 28. 22, 17.). Porro huc retulerim, quod Matthaeus, respiciens ad vaticinia V. T., Domino comprobata, sacram hanc contemplationem fere semper ipse instituat, quum apud Marcum et Lucam narrationibus fere interserta occurrant, ab hominibus, quibuscum res erat, depromta. Cf. Marc. 4, 12. 7, 6. 9, 11. 11, 10. 12, 10. 13, 14. 14, 21. 27. Luc. 1, 17. 55. 70. 73. 4, 17-21. 7, 27. 22, 37. 24, 25-27. 44-46.

Digitized by Google

„ger ist, entweder, dass durch Zugabe des Gleichartigen eine andere „Beziehung des Kürzern, welches den Text der Uebrigen ausmacht, „hervorgebracht worden ist, oder dass mit dem bei ihm Eingetragenen sich andere Verse und Theile der Darstellung nicht reimen, die „ihm mit den parallelen Relationen der Uebrigen gemein sind, und „zum ursprünglichen Inhalte des Textes gehören, oder dass sichtbar „der Text schon geschlossen und zusammengekettet ist, ehe der Nachtrag noch hinzukommt; oder endlich, dass die Composition der kürzern Textform, welche die Uebrigen darstellen, und der reichere „Text des Matthaeus mit in sich schliefst, es ursprünglich gar nicht „auf die Ausführlichkeit angelegt haben könne, die er bei Matthaeus „durch Erweiterung erhalten hat;" — restrictione quadam ad rationem usus, quem in pertexendis singulis quibusdam scriptis evangelicis fecerit Noster, transferri posse autumamus.

Digitized by Google

SECTIO II.

§. 29.

DE AUTHENTIA EV. MATTH. INTERNA.

Pro rationibus artis criticae veris ac sanis jure statuitur, authentiam commentarii nostri, veluti libri N. T. cujuslibet, solis argumentis externis nec penitus subverti nec firmissime stabiliri, sed interna quoque accedant necesse esse. His autem VV. doctos ad evangelii nostri authentiam profligandam potissimum institisse, quis est, quem fugiat. Sectione prima id egeram, ut collustrarem, Matthaeianum nostrum a Matthaeo ap., tanquam auctore ipsissimo, non esse profectum; hac vero secunda edocere conabimur, argumenta interna sententiae illic prolatae non modo respondere, sed firmina etiam solidinsque eandem comprobare. Ut vero etiam in argumentorum investigatione internorum brevitati cummaxime consulatur, Ven. Schulzii animadversiones fundamenti commodissimi instar subjecisse juvabit, praesertim quum VV. DD. plurimi hasce, aliis adhuc quibusdam argumentis auctas, aut probantes repetierint, aut, easdem reprobantes, imprimis Schulzium refellere aggressi sint. Disquisitiones autem hic in discrimen revocandae, ita sunt comparatae, ut in duas facile redigantur partes, generalem unam, alteram specialem.

PARS I GENERALIS.

§. 30.

Quaestio gravissimi sane momenti cadit in disceptationem haec, possitne commentarius noster propter ingenium atque indolem narrandique rationem in eo obviam conscriptus esse ab Apostolo interioris Domini admissionis et rerum spectatore testeque aurito. — Argumentandi rationem, quam ars critica recentiorum temporum superior amplectitur, naturae genioque Canonis N. T. vides superstructam. Progreditur nimirum a diligenti accurataque Matthaeiani nostri comparatione critica cum Marci et Lucae, virorum apostolicorum, atque Joannis, solius apostoli, evangeliis, cum in universum, tum vero etiam in locis parallelis. Qua contentione recte instituta, Joannis evangelio typus narrationum vere apostolica-

Digitized by Google

rum et a rerum spectatore, quantum fieri potuit, certo profectarum, summo jure vindicatur. Valde interea dolendum, quod in hisce quaestionibus judicium haud raro nimis pendeat ab individualitate cujuscunque, quam nostri homines dicunt, subjectiva, permultaque sentiri solummodo possint. Quum autem verum in uno tantum contineatur necesse sit, animum despondere foret insipientis; itaque nos etiam, judicio quantulocunque interposito, verum ipsa re et ratione exquiramus. Quodsi Cl. Schulzii verba ex proposito pedetentim insequimur, plura primum in universum explicanda nobisque dijudicanda injunguntur. P. 302 sqq. l. l. hae fere Viri doctissimi observationes exhibitae sunt: [1]) „Matthaeum ap. evangelii, quod hodie legimus, esse auctorem nulla „ratione certa posse probari. In evangelio ipso nullum hujus scripto„ris exstare vestigium [2]); (p. 303.) indolem ejusdem internam ita esse „comparatam, ut dubitationes ciantur et ubique justificentur gravissi„mae, auctorem illius non fuisse discipulum Jesu interioris admissionis. „Nullibi obvenire rerum spectatorem, quique narratis ipsis interfuerit „— quod vero in Joannis ap. scriptis, etiamsi nomen non profiteatur, „in actis Apostolorum eorumque epistolis in propatulo sit. Luculenter „potius multis apparere locis, scriptorem a rebus narratis, quin adeo „iis, quibus XII Apostolos interfuisse constet, longe abfuisse, ita ut „Lucas et Marcus, interioris Domini familiaritatis haud participes, ni„hilo secius Matthaeianae narrandi rationi non modo adaequent, sed „saepissime adeo clarius, diligentius perfectiusque referant. Accedere, „quod omnes Matthaei evangelii narrationes unam eandemque prae se „ferant traditionis speciem ac tenorem, tum in rebus, quibus scripto„rem, si e numero XII App. fuerit, interfuisse constet, tum in iis, „quas per traditionem demum, veluti Marcus et Lucas, percipere po„tuerit. (p. 304.) Narrationes ejusdem evangelii traditionis indolem „maxime sapere, easdemque cum perspicuitate claritudineque, tum „cohaerentia et narrandi modo, naturae longe convenientiori, a Luca „et Marco in ll. parallelis fere semper superari. Pluribus praeterea „locis, contentione cum ceteris evangeliis sedulo curateque facta, suspi„cionem injici summam, a scriptore evangelii nostri res esse commu„tatas, confusas seu multiplicatas, ipsumque in errores interdum in„cidisse. Fere nunquam evangelii nostri auctorem peculiaria, singula „ac definita retulisse, quod tamen rerum spectatoris testisque oculati „esse soleat, atque adeo Marcus, qui rebus narratis non interfuerit, „longe diligentius observaverit. Nostrum fere semper generalia modo „atque indefinita, vel potius narrationes effataque evangelica per genera,

1) Quibus assentitur Schulthessius in l. Wachler neue theol. Annalen an. 1823. Decembr. p. 1117 sqq.

2) De iis, quae de testimoniis externis huic loco interserta leguntur, vid. quae pl. ll. in Sect. I. exposuimus. Quod vero Heydenreichius V. S. in diario l. T. III. p. 132 sqq. ad Kleukeri provocarit verba (in l. Ausführl. Unters. der Gründe f. d. Aechth. u. Glaubw. der christl. Urk. T. II. p. 155) monemus, Kleukeri sententiam rationibus criticis non satis esse dignam, quia testimonia diserta in disquisitione de authentia librorum ea, primarium obtinent auctoritatem.

Digitized by Google

„ut ita dicam, ordinesque digesta exhibuisse, ita ut omnia specie induta „compareant tali, ac si res enarratae, satis longo temporis spatio prae„terlapso, in traditione, ore facta, versatae magis magisque in gene„ralia atque indefinita abierint, quod quo diutius, eo sit difficilius, „factum originale certo investigare auctariisque alienis, per traditio„nem insertis, purgare.

§. 31.

Quamvis nos quoque illis Ven. Schulzii animadversionibus, in universum enuntiatis, plane vereque assentiamur, dijudicanda tamen et aeque nobis ponderanda sunt, quae Heydenreichius [1]) imprimis et et alii VV. DD. illis opposuerunt. Hic videlicet concedendum quidem esse arbitratur (in diario l. p. 133 sqq.), Matthaeum ap. in evangelio nostro nusquam auctorem ejus diserte compellari, quin ne expresse quidem innui, scriptorem evangelii testem fuisse oculatum e numero XII App.; neque enim c. 9, 9 sqq. legi, auctorem illius Ματθαῖον λεγόμενον fuisse, neque c. 10, 3. occurrere verba ὁ γράψας ταῦτα. Deesse etiam cum primam pluralis personam, qua Lucas in Actis utatur, ubi rebus gestis interfuerit ipsis, tum et formulas ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε, Jo. 19, 35. sive: ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν. 1. Jo. 1, 1-3. ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, Jo. 1, 14. ἐπόπται γενηθέντες, 2 Petr. 1, 16. Quibus vero, etiamsi ita se habeant, directe non evincatur, evangelium nostrum Matthaeo ap. auctori tribui non posse et scriptorem illius non fuisse testem oculatum. Verum enimvero argumenta, a viro doctiss. ad sententiam hanc tuendam allata, nobis certe nulla ratione probantur. Ille enim etiamsi contendat (p. 135), „evangelii auctorem, rerum enarrationi gra„vissimarum, fatis rebusque a Salvatore insignissime gestis toto animo, „ut ita dicam, immoratum, sui facillime oblivisci et personam suam „negligere potuisse, quod si verum sit (veluti persuasum se sibi habere), „eo ipso manifestari, scriptorem rebus narratis interfuisse, et in evan„gelio literis consignando easdem vividissima animi alacritate denuo „quasi vidisse", nobis contra est confitendum, nullum nos animi illius vividissime commoti vestigium in evangelio Matthaei invenire potuisse. Nos quidem conspicimus in eo collectionem tantum singularum διηγήσεων narrationumque ore propagatarum simplicissimam, secundum certum consilium a Judaeochristiano non quidem sine laudabili Dei Christique verecundia pietateque confectam; animum vero illum, vehementer elatum ac quasi ἐνθουσιασμὸν, Heydenreichii sententiae necessarium, omnino desideramus. Sin autem ad evangelium Joannis respicimus, quod hac parte unice comparare licet, pro sententia illa accipiendum foret, Joannem, longe altioribus de Christo notionibus ideisque evectum, et sancto quodam ardore inflammatum, penitus sui oblivisci debuisse scri-

1) Negari quidem nequit, Heydenreichium disquisitionem saepenumero nimis enarrate produxisse; nemo autem propterea iudicium Anon. cujusdam (in Hall. allg. Lit. Zeit 1828 T. I. Jan. nr. 1. col. 4.) nimium sane acerbum, „Heydenreichium, verisimile non intellexisse, qua de re hic agatur" asserentis, probaverit.

Digitized by Google

bentem; atqui ap. Joannem contrarium ubicunque elucescit, ipse enim se profitetur rerum, quas enarret, spectatorem, discipulum in sinu Salvatoris familiarissime recumbentem, idque sua sponte nec de industria et consilio. — Contra Heydenreichium porro affirmantem, fieri potuisse, ut Matthaeus lectoribus, quibus commentarium primo destinaverit, se testem oculatum et apostolum propterea haud definitius indicaverit, quoniam illis ipse talis affatim jam notus fuerit, id unum monemus, Matthaeum verbis „ὁ Ἰησοῦς εἶδεν ἄνθρωπον - - Ματθαῖον λεγόμενον (c. 9, 9.)." lectoribus facillime errorem injicere potuisse, se non esse evangelii scriptorem, (vid. infra §. 45.). Joannes evangelista lectoribus certo satis innotuit, at nihilo minus haud raro inseruit verba: μαθητὴς, ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς, (cf. 1, 35. 13, 29. 19, 26. 20, 2. (21, 20.), quibus se lectoribus aeque definite scriptorem innuit, ac si ipsum nomen posuisset. Quam raro praeterea, Ille inquit (p. 136.), antiquitatis scripta, exceptis epistolis, auctores eorumque personas definitius produnt etc.![2]). Verumtamen bene quaeso animadvertas, Matthaeum, si statuimus ipsum esse evangelii scriptorem, a se ipsum nominando non esse alienum; in Marci vero et Lucae evangeliis nomina scriptorum omnino non occurrunt, quin commode apteque inseri non poterant, quum rebus enarrandis ipsi non interfuissent. Cardo interim in eo vertitur, ut demonstretur, auctorem evangelii nostri testem fuisse ocularem, quod vero, opinor, imprimis evangelio Joannis typo, secundum quem illud ponderetur, constituto, nullo pacto probaveris. Tempora apostolica fuisse simplicissima constat, itaque et in hacce disquisitione res ita sunt spectandae, uti sese offerunt, non autem artificiose contorquendae. Neque e. g. dixeris, Matthaeo, in commentario literis consignando, opportunitatem, testem oculatum atque apostolum, interiori familiaritate cum Domino conjunctum, disertis verbis se prodendi, prorsus defuisse. Quod si tenemus, iis, quae p. 137-141. disseruit ille, dijudicandis commode possumus supersedere. Etiamsi vero concedatur, Heydenreichii verba (p. 140.): „Nach diesem allen würde es Hyperskepticismus, ja ein ei„gentlicher historischer Pyrrhonismus seyn, wenn man schon aus dem „Mangel einer namentlichen Meldung des Verfassers und einer in dem „Buche selbst vorkommenden unmittelbaren Bezeichnung desselben als „Augenzeuge und Apostel des Herrn gegen diese erste unserer evang. „Schriften als ein apostolisches, als authentisches Werk des Matth. „Verdacht schöpfen wollte", una ex parte vera esse, altera tamen Ven. Schulzio ne in mentem quidem venit, unicum illud argumentum omnium, quae sequuntur, instar habendum esse.

§. 32.

Pergit Heydenreichius (p. 141 sqq.), „quamvis scriptor evangelii nostri non diserte se testem ocularem atque apostolum annuntiet, alia

2) Assentitur Schott in l. l. p. 75 sub lit. a„. Epistolis vero nos etiam argumenti vim non tribuerimus, in his enim e rerum natura scriptor lectoribus propius adstat.

Digitized by Google

tamen haud deesse indicia interna, quibus summo jure colligas, illum certo fuisse et rerum spectatorem et apostolum". Ad haec vero indicia interna omnino, ut possunt, repudianda accedere liceat. Quodsi ille affirmat, „dicendi quidem rationem narrandique modum a Marci Lucaeque parum differre sibi videri", sententia nostra evangelistae synoptici enarrandi ratione non modo inter se differunt, sed potius, quod singulis infra patebit exemplis, Marcus et Lucas Matthaeum perspicuitate aliisque virtutibus haud raro longe superant. Interim concessa illa Ven. Heydenreichii sententia, authentiae commentarii nostri servandae, ratione Joannis evangelii habita, jam multum interiit. „Atqui ex interna evangelii nostri indole praestantissima jure colligi posse, asserit Ille, auctorem cum fuisse virum fide dignissimum satisque informatum, tum vero etiam familiaritate cum Domino proxime conjunctum ac magnae rerum narratarum partis spectatorem, quin Apostolum, quod electione rerum gestarum dispositioneque luculenter comprobetur [1]). Ablegato dein lectore ad evangelium attentis oculis perlustrandum, ad persequendum egregium ejus consilium conferendasque singulas ejusdem partes cum candido scriptoris proposito, usque ad p. 150. argumentum totius evangelii in universum lineis quibusdam depinxit Heydenreichius". Nos vero recte intelligere nequimus, quî tandem Vir ille doctiss. in hancce argumentationem incidere potuerit. Nam Matthaeianum nostrum temporum esse foetum Apostolicorum, idemque in universum nil sapere apocryphi, nemo ibit infitias. Neque interea probaverim, Heydenreichium, amore erga Matthaei evangelium antecapto, disquisitionem nimiopere exornasse, fucumque rebus eleganter subduxisse, interna evangelii indole simplicissima non comprobatum. Narrationum vero delectu et rerum dispositione validissime potius reprobari, evangelii auctorem testem fuisse ocularem, singulis infra collustrabitur. Itaque vir ille doctiss. veram αὐτοψίας naturam non satis acute perspexisse videtur. P. 151 sqq. observationem Heydenreichii reperimus hanc, „quodsi Lucae evangelium, cum Matthaeiano comparatum, perlustraveris, omnia in eo aliam prae se ferent speciem ac tenorem, quae evangelistam rebus narratis non interfuisse, haud obscure doceant; etiamsi Lucas non confessus esset, se tantummodo ea, quae scriberet, collegisse, ipsum evangelium idem aperte declararet, etc." Lucas interea, liberiori Paulinae rationi addictus, consilium suum declarandi probandique, Jesum esse Christum, non tam strictim ad umbilicum adducere potuit, quam Judaeochristianus, idea Messiae theocratici repletus, frequentissime provocans ad vaticinia V. T. Domino comprobata. Atqui de Matthaei quoque evangelio persuasissimum nobis habemus, auctorem ejus non ex penu suo scripsisse, sed aeque ac Marcum et Lucam

1) Pari modo statuit Schottus Cel. in l.l. p. 76. sub lit. d.: „Totius evangelii indoles; rerumque narratarum delectus, consilio scriptoris (§. 21.) egregie accommodatus auctorem prodit, qui ipse in praeconibus fuit evangelii a Christo electis, et multa certe eorum, quae commentario suo complexus est, experiundo cognoverat."

Digitized by Google

jam aliorum scripta in usum convertisse suum, vid. §. 23. Sin autem evangelium Lucae ceteris paribus Matthaeiano nostro fere ubique praeferendum esse existimamus (quamvis tali judicio virtutibus hujus ne tantillum quidem detrahatur), an propterea vituperandi simus, nescio. Deinde et Lucae evangelium, ut Heydenreichius vult, res narratas non ipsarum tantum causa connexuit, sed a simili infantiae evangelio praestantiori etiam exorsum, dogma, Jesum esse Christum, optime usque ad Salvatoris ascensionem in coelum continuo perduxit contextu. Tum animadvertit ille, „orationum et parabolarum Jesu, a Luca exhibitarum, multas moralis tantummodo esse argumenti, quum apud Matthaeum saepissime redeant, quae, relationem theocraticam continentes, regnum spectent messiano - divinum". Quae vero res aptissime, opinor, explanatur cogitandi evangelistarum ratione diversa, Luca liberiori Pauli ap. doctrinae, Matthaeo contra Judaeo-christianismo indulgente; num vero indolem istam evangelio nostro magnae imputaveris praestantiae, jure quaeritur. Denique tandem ne candida quidem Krummacheri verba (in l. Geist und Form der evangel. Gesch. p. 147 sqq.), ab Heydenreichio laudata, sententiam nostram ad vacillationem adducere eamque infringere valeant. Quamvis enim in universum verae sint, neque tamen est obliviscendum, Joannem quoque prae rebus generalibus speciales non praetermisisse. Neque vero etiam jure opponas, Joannem lectoribus scripsisse, a Palaestina longe remotis, quippe qui traditionem evangelicam, in terra illa promissa uberrime dilatatam, ad res speciales percipiendas adire nequiissent; supra enim (§. 13.) probasse nobis videmur, Matthaei evangelium graecum Judaeochristianis quidem, neque autem Palaestinensibus fuisse destinatum.

§. 33.

Quin adeo indicium internum Heydenreichius se reperisse autumat (l. c. p. 154 sqq.), quo Matthaeus commentarii nostri scriptor manifestetur. Asserit nimirum, „totam rerum gestarum seriem, cum ipsius electione artissime conjunctarum, partim solum retulisse Matthaeum (c. IX, 27 - 31. narrationem de duobus caecis sanatis et v. 32 - 34. de homine muto daemoniaco), partim vero etiam easdem contextu vere chronologico illum exhibuisse unum [1]). Solum scilicet Matthaeum de mulieris sanatione, sanguinis profluvio laborantis, et de filia Jairi rediviva narrationes cum ipsis Domini sermonibus ad Pharisaeos Joannisque discipulos connexuisse, Marco vero et Luca contextu diverso eoque falso, uti putet, easdem exhibentibus [2])". Damus quidem, Matthaeum duas l. c. memoriae nobis prodidisse narrationes, a Marco et Luca praetermissas, altera tamen ex parte, Marcum et Lucam in ll. parallelis (Marc. V, 22 - 43. Luc. VIII, 41 - 56. coll. Matth. IX, 18 - 26.) illo longe distinctius ac perfectius enarrasse, quis est, qui neget. Ita e. g. Jairus nominatur et quo functus sit munere perhibetur, ubi apud

1) Cf. Storr üb. den Zweck der ev. Gesch. u. der Br. Joh. p. 303. 2) Schottus Cel. assentitus eandem repetivit observationem in l. l. p. 77.

Digitized by Google

Matthaeum perquam indefinitum illud: ἄρχων εἷς occurrit. Praeterea antem non extra omnem dubitationem positum esse censemus, num contextus Matthaeianus unice sit authenticus, an potius, quum Marcus et Lucas narrationem ipsam accuratius ac magis perspicue delineaverint, rejiciendus esse videatur. Denique tandem, quum ex Ven. Heydenreichii sententia sequeretur, Matthaeum electionem suam cum circumstantiis in memoriam vividius sibi revocasse, quomodo quaeso credideris, illum de suo ipsius vocatu (c. IX, 9.) frigidissime loqui potuisse (vid. infra § 45.). Adde, quod Matthaeus (c. IX. 14.) Joannis discipulos percontantes male induxit, quum causam frustra quaesiveris, cur hoc tempore in interrogationem illi inciderint, quae sane opprobrii quid redoluisset; longe ergo verius quaestio illa de jejunio apud Lucam c. V. 33. in ore Pharisaeorum, ad Joannis discipulorum exemplar provocantium, legitur. Igitur indicium illud internum, Heydenreichio indagatum, ubivis desideratur.

§. 34.

Ad ea, quae verissime Schulzius observavit (vid. supra §. 30.), refellenda Heydenreichius (p. 159) animadvertit hoc, „etiamsi concedatur, nostrum plura ceteris evangelistis indefinitius minusque accurate retulisse, nec non negligentius, quam a rerum spectatore fere postulaveris, neque tamen enarrationem singularum rerum gestarum definitiorem accuratioremque ei, quem Matthaeus sibi proposuerat scopo necessariam fuisse [1]), quum neque annales sive diarium conscripturus, neque historici partes acturus fuerit noster etc." Hoc vero munus ne ceteri quidem evangelistae subire voluerunt, omnes potius probaturi, Jesum esse Christum, diu totoque animo speratum, mundi Salvatorem. Rerum autem narratarum spectator sponte, vel quasi se invito, accuratius, definitius ac magis perspicue ea, quae ipse vidit, tradere solet. Clarissimo tibi sit documento Joannes [2]), qui etiam vim, ut ita dicam, stylo inferre debuisset, ad ita scribendum, veluti Matthaeiani evangelii auctor. „Nec mirum esse, pergit Ille p. 160., si Matthaeus res consilio suo cummaxime faventes, et Jesum tanquam Messiam Deique filium ac regni divini conditorem imprimis comprobantes, literis tantummodo mandaverit, minutiis quibuscunque, tanquam levioris momenti, omissis". Haec vero Ven. Heydenreichii opinio in causam nostram explanandam non apprime quadrat, partim enim et plures res aliae minoris momenti nostro fuissent praetermittendae, aliae autem prima-

1) Pariter Schottus (l. l. p. 76 sub lit. b.) verba depromsit haec: „Neque consilium hujus evangelistae primarium (§. 21.) necessario secum ferebat, ut historiam rerum Christi integram exhiberet, singula quaevis accuratius persequendo".

2) Recte animadvertit Schottus, (quanquam evangelii nostri authentiam alias vindicaturus.) l. l. p. 132: „a Joanne haud raro vel tempus vel locus accuratius definitur, variique generis περιστάσεις ab illis III evv. omissae afferuntur; atque omnino haud exigua apparet narrationis evidentia, cf. Jo. 1, 35-40. c. 9. c. 11. c. 12. c. 13, 24. 18, 15. 19, 26. 35. 20. 2 sqq. (c 21.)".

Digitized by Google

riae necessario exhibendae. Cur tandem, quaeso, testis oculatus et XII Apostolorum unus miracula Domini illustrissima eaque simul rariora, mortuorum resuscitationes dico, neglexerit? Atqui apud nostrum frustra quaesiveris narrationes de filio Naïnitico [3]) (Luc. VII. 11 - 17.) et Lazaro redivivis (Jo. XI.), vid. infra §. 59. Deinde vero etiam falsa opinione de proprio rerum spectatoris more inductus idem ille animadvertit p. 161., „Matthaeo res gestas per se et in universum solummodo cordi fuisse, neque autem, qua ratione, quo tempore et loco evenerint; miracula enim, et circumstantiis omissis, eandem retinuisse vim, atque orationes effataque Domini pretii fuisse ejusdem, ac si temporis et loci, quo habita sint, mentionem noster fecisset". Interim qui tandem cum teste oculari conciliaveris, quod ille temporis ordinem gravissime interdum laesit, singula locis sententiisque primariis subjungendo, similiaque quasi artificiose copulando; quae omnia ejus potissimum esse sentio, qui scripta singula in unum congesserit, neque rebus narratis ipse interfuerit.

§. 35.

Deinde (p. 164 - 169) Vir ille doctiss. Ven. Schulzii verba, quae verissima opinamur, (p. 304): „dass die das ganze Buch beherrschenden „Ideen mehr den Messianischen Zeit- und Volksglauben oder die be„sondere Messianische Ansicht des Verfassers überhaupt auszusprechen, „als auf einer von demselben thatsächlich selbsterlebten „Wirklichkeit zu beruhen scheinen" refellere conatus est, idque ita, ut nostra sententia prodosin nimium urgendo apodosin omnino fere neglexerit. Nullus enim credo, Ven. Schulzium verbis laudatis id voluisse, ut scriptorem evangelii Matthaeiani crasso infimoque idearum Messianarum materialismo, quem dicunt, indulsisse affirmet, quae Heydenreichii est sententia; arctissime potius illa cohaerent cum priori Viri eruditissimi observatione, nullum in evangelio nostro deprehendi *αὐτοψίας* vestigium et scriptorem rebus narratis longe abfuisse videri. Noster enim, si consuetudine Jesu ipse usus fuisset, non tam abstractas de Messia notiones animo concepisset, sed longe concretiores: jam vero Messiam ac vaticinia V. T., illo comprobata, quasi e longinquo contemplatur, (cf. §. 28. not. 3. fin.) ita ut, auctorem evangelii non fuisse rerum narratarum testem oculatum, dilucide appareat. Ven. Dav. Schulzius in l.l. jam p. 182 sqq., authentiam evangelii Matthaei impugnans, asserit: „animum scriptoris evangelii nostri, opinionibus Judaicis inhaerentem, multimodis depressum videri, ac si seriori adhuc aetate, qua evangelium literis consignasse dicatur, opinionibus illis, antecaptis, eundem obstrictum conspiciamus, vix posse cogitari, evangelii auctorem Domini fuisse discipulum interioris admissionis, atque apostolum praedicationi evangelicae liberiori idoneum". Verum enimvero licet concedamus, nostrum hac parte a ce-

3) Quin suspicio nobis certe haud parum augetur verbis Lucae: *συνεπορεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ* (*ικανοὶ*).

Digitized by Google

teris evangelistis, imprimis Joanne, longe superari, hoc tamen est tenendum, nostrum fuisse tum Judaeochristianum et hac ipsa de causa Judaismum religiosius sectantem, tum vero etiam eundem liberius interdum cogitasse. Cf. Matth. 8, 11 sq. 12, 18. 13, 31 sq. v. 36. c. 21, 33 sqq. v. 43. 24, 14. 26, 13. 28, 19. ubi scilicet ostendit, Messiam Judaeis primum quidem apparuisse (c. 10, 5. 6. 15, 21-28), sed propter ipsorum contumaciam atque obstinationem regnum messianum, his ereptum, ad ethnicos translatum iri (c. 21, 43 coll. 8, 11.). Itaque hac ex parte authentiam evangelii Matthaei equidem non impugnaverim. Cf. Theile in diario l. T. II. fasc. 2. p. 193 sqq.

§. 36.

Aliam denique protulit sententiam Ven. Heydenreichius ad evangelii nostri authentiam servandam (p. 169 sq.), „Matthaeum", ait, „quamvis unum e XII Apostolis, neque tamen rerum, ipsi narratarum, omnium fuisse testem oculatum, et hanc ob causam singulas res, indefinitius ac negligentius relatas, intercedere facillime potuisse" [1]). Libenter quidem damus, Apostolorum unum quemque haud omnibus rebus a Domino gestis interfuisse; quo vero concesso difficultates, a Ven. Schulzio summo jure prolatae, nulla ratione affatim removentur. Marcus et Lucas, rerum ab ipsis traditarum neutiquam spectatores, perspicuitate et diligentia aliisque virtutibus nostro nihilo secius longe antecellunt. Cur quaeso Matthaeus, si apostolus traditioni evangelicae purissimae scilicet uberrimaeque proxime adstiterit, res gestas, quibus ipse testis oculatus non interfuerat, et multo accuratius etiam vel saltem aeque diligenter percipere nequierit, ac Marcus et Lucas? Praeterea, quum in evangelio nostro indicium αὐτοψίας certum ac disertum investiges nullum, statuendum foret, Matthaeum ap. nullis fere rebus narratis interfuisse et in comitatu Salvatoris partes, ut ita dicam, personae mutae egisse, quod nemo facile in animum sibi induxerit, etiamsi Matthaeum inter XII Apostolos non eximie eminuisse, (cf. §. 1.) lubenter concesseris. P. 172 sqq. affirmat Ven. Heydenreichius, „praesumtionem modo esse antecaptam, quod Matthaeus res gestas, quibus testis ocularis non interfuerit, ex traditione, jam per satis longum temporis spatium in ore hominum propagata, hauserit, et omnes evangelii nostri narrationes eandem prae se ferant traditionis speciem ac tenorem, indicia enim hoc dignoscendi ac vestigia prorsus deesse." Cui commento respondemus: illa Schulzii animadversio comparatione

1) Eandem observationem tuentur Theilius Vir doctiss. in diario l. T. II fasc. 2. p. 182. Fritzschius Cel. in Comm. ad Matth. Proleg. p. XXII: „Nam quisnam, ut omnibus ille rebus interfuerit, unquam postularit?" et Ven. Schottus l. l. p. 73 et p. 75 sub lit. b, ubi verba leguntur haec: „Quum porro ex ipsis evangeliis pateat, „Servatorem plura dixisse, fecisse, expertum esse, quibus non *omnes* Apostoli au„ditores et spectatores interessent (cf. Matth. 17, 1. 26, 37. 69 sqq. Mr. 5, 37. „16, 14. Luc. 24, 36. 50. Jo. 18, 15. 19, 26. 20, 26.), nihil impedit, quominus „Matthaeum aliquam partem rerum gestarum ea ipsa de causa, quod iis non inter„fuisset, narratione minus perfecta et integra exhibuisse censeamus".

Digitized by Google

evangeliorum canonicorum critica enixe fulcitur, cujus ope maxima cum verisimilitudine distinguere licet, quidnam ex traditione, interdum jam inquinata depravataque, promanarit; quaenam sint verba rerum spectatoris genuina. Interim haec omnia singulis, infra disputandis, clarius intelligentur. Repudiandam pariter arbitramur Heydenreichii sententiam, Viro critico, opinor, non satis dignam, (p. 178 sqq.), „auctorem evangelii nostri quasdam adeo res, quamvis iisdem interfuisset, dum scriberet, obscure tantum et imperfecte in memoriam sibi revocasse, et ea ipsa de causa minus accurate ac diligenter literis eas consignasse" [2]). Reputa, hujuscemodi commentis personam et characterem apostolicum quavis ratione detrectari ac luce circumfundi perquam ancipiti. At ne multa, Lector benev., provocasse condonaveris ad candida verissimaque Lückii contra Guerikium verba, quae et huic loco optime conveniunt: [3]) „Auf der andern Seite aber können wir „nicht zugeben, wenn man, wie allerdings der Vf. thut, die Echtheit „des Matthaeus durch Verringerung des schriftstellerischen Characters, „ja selbst der Glaubwürdigkeit und Fähigkeit des Apostels zu retten „sucht. Wenn die Erzählung des Lucas in mehreren Parallelen klarer, „lebendiger, anschaulicher ist, als die des Matthaeus, was der Vf. „zugibt, so dürfen wir in Angesicht des Johannes nicht sagen, dass „der Augenzeuge und Apostel Matthaeus es eben nicht so genau und „vollständig gesehen oder genommen oder gewusst habe, als derjenige, „dessen Zeugniss Lucas mittheilt. Die Scrupel, die von dieser Seite „angeregt worden sind, lassen sich in der That nicht so leicht lösen, „wie der Verf. zu glauben scheint; sie beruhen auf einer richtigen „Anschauungsweise des apostolischen Zeitalters, und ihre Lösung „kann nicht gelingen, so lange man nur Einzelnes dem Einzelnen, Mög„liches dem Möglichen gegenüberstellt und im Kleinen rechnet".

§. 37.

„Argumentum ad authentiam evangelii nostri addubitandam negat Ven. Heydenreichius (p. 183 sqq.), inde posse assumi, quod ceteri evangelistae Matthaeo accuratius, definitius clariusque narraverint; nam, collatis Matthaei Joannisque evangeliis, intra temporis intervallum, quo Servator edocendi munus susceperit atque ultimum iter Hierosolymitanum, duarum solummodo narrationum parallelarum institui licere contentionem: Matth. XIV. 13-21. cum Jo. VI. 1-15. et Matth. XIV, 22-33. cum Jo. VI. 16-21". Quod quamvis ita se habeat, Joannis tamen evangelii tota indole et natura interna cum Matthaeiani nostri in universum comparata, optime intelliges, quid intersit inter rerum spectatorem et eum, qui relata tantum referat. De duabus illis narrationibus infra peculiariter nobis erit edisserendum; hic monuisse sufficiat, propterea quod Matthaeus ll. cc. quasdam retulerit re-

2) Assentitur Schottus in l. l. p. 76 sub. lit. b, nec non Fritzschius p. XXII, l. c., inquiens, „si post multos annos obscure istarum rerum meminerat". 3) Vid. Göttingel. Anzeigen. an. 1830, nr. 48. p. 474.

Digitized by Google

μετάσεως, ab Joanne omissas, illum rebus illic narratis testem interfuisse ocularem, colligi non posse. Animadvertas quaeso, Joannem non tantopere singulas res gestas spectasse, quantopere Domini effata atque orationes; si vero evangelium literis mandasset Joannes ἀπομνημονευμάτων instar, veluti evangelistae synoptici, cum rerum spectator longe evidentius etiam emineret, tum de tota historia evangelica multo melius verteretur. Porro Vir ille doctiss. observat, (p. 186 sqq. (cf. Theile in diario l. p. 190 sqq.) „Joannis relationem haud raro aeque esse indefinitam, ac Matthaei. Hunc v. c. frequenter adhibere formulas: τότε, ἐν ἐκείναις ἡμέραις, ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, consimiliter vero Joannem: μετὰ ταῦτα (Jo. 3, 22. 5, 1. (21, 1.))" Non quidem negem, accuratiorem temporum destinationem in universum ab evangelistarum scribendi genere esse alienam; altera tamen ex parte non est praetermittendum, Joannem in singulis quoque Matthaeo longe accuratius temporis ordinem servasse, cf. quae verissime observavit Olshausenius in Comm. l. T. I. introd. p. 24. Verba autem Jo. V, 1. ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, Ven. Heydenreichio scriptionis indefinitae indicium, omnino nihil probant. Dissentire VV. doctos, quinam dies festi Judaeorum solennes subintelligendi sint, nemo non ignorat. Quamlibet interea sententiam admiseris, causas investigare licet, cur Joannes non definitius scripserit. Aut enim cum VV. DD., dies festos Purim conjicientibus, (vid. Lückium in Comm. ad Jo. T. II. p. 1-8) statuatur, Joanni, lectoribus scribenti externis ethnico-christianis, satis fuisse visum, Dominum instante die festo Judaeorum Hierosolyma profectum commemorasse. Hic enim dies Judaeorum solennis lectoribus illis tum minoris fuit momenti et facta Domini, Hierosolymis patrata, affatim intelligebantur, dummodo scirent lectores, tempore ea festivo evenisse; tum vero etiam, (sit venia conjecturae), Joanni diebus festis Purim, lectoribus minus vel omnino non notis, definiendis inutiliter immorandum fuisset. Aut, alteri VV. DD. sententiae, quae dies festos Paschatis subintelligit (cf. Hase in l. l. §. 47.), faventem conferre juvabit permulta loca analoga e. g. Matth. 26, 5. 27, 15. Marc. 15, 6. Luc. 23, 17. Joan. 4, 45. 11, 56. 12, 12. (cf. Tittmanni meletemata sacra p. 193.) ubi dies festi Paschales κατ' ἐξοχήν ita appellati sunt.

§. 38.

Denique tandem Ven. Heydenreichius, „collatione etiam ad Marci Lucaeque commentarios extensa, virtutes illorum prae evangelio Matthaei nullo modo ita esse comparatas, ut authentia hujus propterea possit impugnari", asseverat. Quam hoc falsum, infra elucebit. P. 190 sq. commemorat idem ille, „Marcum, intima Petri Apostoli familiaritate usum (coll. Act. 12, 12. 1 Petr. 5, 13.), ea ipsa de causa Matthaeo accuratius definitiusque plura consignasse." Interea nullum omnino indicium exploratum, quo vis illa a Petro ap. inserta comprobetur, in Marci evangelio deprehenderis; fuit itaque admodum generalis, nec ad singula usque spectavit. (Vid. Halfeld de origine quatuor evangeliorum. Gotting. 1794. 4. p. 7. 8. coll. Guerike in l. l. p. 47 sqq.). Matthaeus

Digitized by Google

autem ceteris apostolis rerumque spectatoribus longe certo propius adstitit, quam Marcus, vir modo apostolicus, ita ut ille res gestas, quibus non interfuit, hoc multo diligentius percipere posset. P. 193. opposuit Ille, Lucam scriptorem fuisse perpolitum et Matthaeo longe cultiorem, quod quidem etiamsi concedamus, altera tamen parte, Matthaeum in scribendo tam rudem fuisse, ut, si rebus enarrandis ipse interfuisset, easdem perfectius consignare et diligentius curatiusque depingere non potuisset, negaverim. P. 194 sqq. affirmat Ven. Heydenreichius, „Matthaeum etiam haud raro diligentius accuratius definitiusque narrasse, quam Marcum et Lucam". Qua vero observatione, interdum vera quidem, nondum probatur, scriptorem evangelii nostri testem fuisse oculatum atque apostolum, veluti ex iis, quae in Marco et Luca diligentius atque accuratius descripta sunt, duumvires illos rebus narratis interfuisse, haud sequitur; sequitur solummodo, tres evangelistas synopticos traditionem evangelicam, scriptam et ore factam, sensu latiori sane ad testes oculatos haud raro reducendam, hic illic diligentius investigasse. Cardo autem argumentationis in eo vertitur, ut, auctorem evangelii Matthaeiani res narratas suis ipsum oculis vidisse, evincatur. Quae si tenentur, singulis exemplis, quae Ven. Heydenreichius laudavit, perscrutandis, commode supersedemus, praesertim quum eorum nonnulla peculiariter infra nobis sint ventilanda [1]). Prorsus vero reprobandam putamus Ven. Heydenreichii sententiam, Matthaei evangelii narrationes duplicatas multiplicatasque simplicibus, apud Marcum et Lucam obviis, esse praeferendas idque adeo ita, ut amplitudinis perfectionisque prae se ferant speciem. Illa enim sensum criticum ac propriam traditionis evangelicae indolem acerrime offendi, quis est, quem fugiat.

§. 39.

Jam §. 19. Theilium V. doctiss. vidimus hypothesi favere de usu trium priorum evangelistarum mutuo et sententiae, quod Matthaeus Synopticorum primus commentarium suum consignaverit. Igitur et animadversiones Illius plerasque, ad sectionem secundam hanc pertinentes, hypothesi laudatae, nobis vero, uti supra innuimus, improbandae, innixas deprehendis. Hypothesi ergo de usu Synopticorum mutuo repudiata, argumenta singula quoque, ad authentiam evangelii Matthaei servandam ab Illo ll. cc allata, eo ipso conciderunt. Animadvertit Ille (in diario l. T. II. fasc. 2. p. 184.): „Die Geschichtserzählung des Matthaeus ist mehr traditionell und allgemein gehalten, die des Johannes mehr individuell". Quod quidem aptissime convenire putat cum persona utriusque evangelistae, propterea quod Joannes, in sinu Magistri recumbens, etiam in mentem ejus penitus se insinuaverit, vid. Usteri in l. l. p. 6. Joannem tali conditione usum fuisse, nemo ibit infitias;

---

1) Contendit Ille e. g. Matth. 12, 49 verbis: *καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ εἶπεν* testem oculatum luculenter se prodidisse", sed pari modo idem asserere liceret de Marci verbis c. III, 34: *καὶ περιβλεψάμενος κύκλῳ τοὺς περὶ αὐτὸν καθημένους λέγει·* Vid. I. G. Müller in l. l. p. 66.

Digitized by Google

atqui altera ex parte Theilius V.S. persuadere nobis non potuit, tantam inter utrumque apostolum intercessisse differentiam, quanta ipsorum evangeliis efficitur. P. 188 sqq. pergit Ille, Joannem narrandi genus singula quaevis penetrandi adumbrandique et in iis rebus adhibuisse, quibus testis oculatus non interfuerit, et in orationibus, quas multis annis praeterlapsis memoria tam fide tenere vix potuerit (coll. 1, 19 sqq. v. 32 sqq. 5, 29 sqq.); 1, 44 sqq. 3, 1 sqq. 4, 9 sqq. (v. 8. nimirum discipuli urbem intraverant, dum Servator solus versabatur); 18, 33-38. (v. 28. Judaeum nullum in praetorio adfuisse narratur); 19, 3. 21 sq. 20, 1 sqq. 11, 14 sqq. coll. v. 4 sqq.), veluti narrandi ratio Matthaei per totum evangelii contextum eandem prae se ferat speciem ac tenorem generalem". Verum enimvero non est negligendum, in evangelio Joannis rerum spectatoris indicia, diserta singula, eminere (cf. e. g. I, 35 sqq. XIX, 25 sqq.), neque tamen omnia pariter accurate esse delineata. At perspicuitatem et diligentiam in iis etiam rebus enarrandis, quibus Joannes testis oculatus non interfuit, cum Theilio maximam partem enatam haud censuerim ex phantasia majorique scribendi et referendi facilitate, sed potius ex eo, quem Joannes tanquam apostolus et rerum spectator obtinuit, loco. — Censor quidam anonymus in diario: Winer u. Engelhardt Journal. T. I. fasc. 3. p. 346. de Ven. Schulzii observationibus p. 302 sq. sic fere proloquitur: „Ad summum se „posse concedere, scripta Matthaei ap. gennina fragmentorum instar fuisse „et a manu aliena in evangelio nostro digesta". Haec vero sententia, nulla, opinor, ratione sufficit ad sexcentas alias difficultates diluendas. Verumtamen sensisse ille videtur, Matthaeianum nostrum ob chronologiam, haud raro laesam, ad Matthaeum ap. nullo interveniente reduci non posse.

§. 40.

Postremo in calce partis generalis ad argumentum, in nexu synoptico evangelii Matthaeiani cum Marci et Lucae positum, et, si quid videmus, ad authentiam illius impugnandam gravissimi sane momenti, excutiendum accingamur. Quum nimirum nulla, opinamur, ratione possit probari, Marcum et Lucam e Matthaei evangelio hausisse idque decerpsisse, quamlibet hypothesin ad consensum evangeliorum synopticorum, haud raro ad verba usque extensum, derivandum explanandumque admiseris, authentia evangelii nostri necessario periclitabitur. Quodsi e. g., Matthaeum e Marci aut Lucae evangeliis vel ambobus simul hausisse, statuamus, summo opponitur jure, quî tandem talis evangelii consignandi ratio apte possit conciliari cum persona Matthaei apostoli et rerum narrandarum spectatoris? quis, quaeso, Apostolum commentarios Virorum tantummodo apostolicorum fontium istar adhibuisse et exscripsisse,[1]) putet? Fac autem, emendandi forsan corrigendive consilio fieri hoc potuisse; tale vero consilium ut ex Matthaeiano nostro appareat, tantum abest,

1) Quod jam monuit Fr. Fischerus in l. l. §. 42. p. 115. 116.

Digitized by Google

ut hoc ipsum a Marci Lucaeque evangeliis superetur virtutibus, quas parti speciali exponendas reservamus. Tum vero etiam hypothesi nostrae, supra §. 23. expositae, acerrime repugnat indoles ac natura rerum spectatoris et Apostoli. Nunquam profecto Matthaeus Apostolus officium scripta singula evangelica colligendi digerendique sibi injunxisset, praesertim quum, haec maximam partem non ab Apostolis, sed potius a Viris apostolicis originem traxisse, verisimillimum sit [2]). Quin dummodo pro indubitato evincatur, quod evangelium Matthaei eadem hac vel consimili utatur origine, qua reliqua duo evangelia synoptica, authentiae illius addubitandae ansam jam suppeditatam arbitramur. Pari modo in angustias nos adductos videmus hypothesi de evangelio primitivo sive literis consignato sive ore propagato. Verissime de Wettius, subacti judicii Vir, authentiam evangelii nostri in dubitationem vocavit, propterea quod traditioni evangelicae superstructum compareat, quod in vernacula nostra ita expressit (in l. l. p. 177.): welches auf der evangelischen Ueberlieferung ruhet". Quamvis de Wettii de origine evangeliorum synopticorum sententiae, quacum verba modo laudata arctissime cohaerent, assentiri nequeamus (vid. supra), haec nihilo secius verissima habemus. Supra nimirum in delineanda hypothesi nostra (§. 23.) edocuimus, evangelio etiam nostro traditionem evangelicam, in ore hominum aequabiliter conformatam, tum scriptam tum ore propagatam, fundamenti instar subesse. Quod quum ita sit, ratione habita evangelii Joannis, authentia Matthaeiani nostri necessario periclitatur. Nam Joannem in evangelio suo consignando nec scriptis usum fuisse [3]), nec traditionem evangelicam tanquam fontem adhibuisse, veluti Synopticos, interna commentarii Joannei indole evidenter comprobatur. Quodsi ergo hoc etiam respectu evangelium Joannis typus comparationis unice est constituendum, quo luculenter procedit, apostolum ac rerum narrandarum testem oculatum auritumque ex penu suo evangelium depromere solere, improbandam censemus Guerikii sententiam: (in l. l. p. 28.) „warum sollte nicht ein Apostel von nicht Johanneischer „Originalität — natürlich ohne dadurch der Wahrheit etwas zu ver„geben [4]) — sich zum Theil an die üblich gewordene Form angeschlossen haben?"

2) Vid. Schleiermacher V.S. in l. l. p. 11. Paulus exegetisch. Handbuch. T. I P. 1. p. 20. §. 38. p. 23. §. 42. init. et Olshausen in Comm. laud. T. I. ad Luc. I, 1. Quum porro historia duce confirmetur, Patres apostolicos et Papiam (Euseb. III. 39.) et Polycarpum (cf. Iren. ap. Euseb V. 20.) multo libentius viva traditionis evangelicae voce usos fuisse, quam scriptis, quanto minus Matthaeo apostolo et rerum narrandarum spectatori scriptorum usum tribueris? Adde, quod Roedigerus verissime dixit in l. l. p. 8. — — — „Sed longe minima ratio critica (singula scilicet scripta evangelica colligendi compingendique) in evangelio quod vulgo Matthaeo apostolo adscribitur, conspicua est."

3) Cf. quae eruditissime disserult Lückius in Comm. ad Jo. T. I. p. 106 sqq. p. 111 sqq. contra Bertholdi sententiam (in l. Verosimilia de origine Ev. Joannis p. 22 sqq.) merito reprobandam

4) Atqui infra statim docebimus, auctorem evangelii Matthaeiani haud raro ita scripsisse, veluti rerum spectator atque apostolus salva veritate nullo pacto enarrare poterat.

Digitized by Google

PARS II. SPECIALIS.

§. 41.

Primo disserendum nobis est de Matth. I. II. inde enim de Wettius (in l. l. p. 177.) petiit argumentum, traditiones in evangelio nostro contineri fluctuantes vacillantesque. Duo priora haec capita genuina esse et ab eodem, a quo reliqua, auctore consignata, inter VV. DD. summo jure constat [1]); verum enimvero longe alia est quaestio, num eadem a Matthaeo apostolo profecta esse possint. Veluti autem capitum illorum narrationes omni fundamento carere historico contendi non potest, sic parte altera evinci nequit, easdem mere esse historicas; positae sunt potius extra limitem historiae evangelicae, certae atque exploratae. Jure, opinamur, de Wettius narrationes illas notavit traditiones fluctuantes, ac vituperandum esse censemus Guerikium, in refutando illius argumento (in l. l. p. 29. not. 52) ad dogmata christiana confugientem [2]). Contradictiones, quae contentione critica cum Luc. I. II. facta necessarie oriuntur, nulla possunt ratione conciliari, nisi artificiosissime summaque vi illata contortae [3]). Huc vero accedit res momenti longe, opinor, gravioris [4]), quod nimirum satis certo possit probari, historiam nativitatis infantiaeque Domini originaliter non effecisse evangelii historici partem integram. Nullus Apostolus in docendo evangelio illam adhibuit; neque Marcus (coll. Act. 12, 12 sqq.) neque adeo Joannes, qui (coll. Jo. 19, 27.) quovis alio facilius res illas mirabiles ex Maria comperire potuisset, eandem illam exhibuerunt, quin ne levissime quidem innuerunt. Porro et fratres Servatoris nihil de illa commemorant, et Judaei apud Joannem propalam Dominum denotant filium Josephi et Mariae. Recte animadvertit Roedigerus in l. l. p. 9 not.* „Apostoli ipsi dictis factisque Magistri vere divini praeclaris, quae intra triennium, quo cum Eo versati erant, audierant ac viderant, ita completi erant, ut de Ejus pueritia nihil fere cogitantes ea tantum, quae ad illud tempus pertinebant, praedicarent et propagarent." Initium vero praedicationis evangelii apostolicae positum fuisse in baptismate Domini, pluribus N. T. locis confirmatur, cf. Act. 1, 8. 1, 21. 22. 10, 37-41. Luc. 24, 48. Jo. 15, 27. Quid? quod historia infantiae Magistri si cum evangelio historico originaliter fuis-

---

1) Vid. Schott in l. l. p. 73 fin. p. 77-79. Joh. G. Müller l. l. ubi paene omnia, quae huc pertinent, sedulo collecta reperiuntur.

2) Quod jam probe observavit Anon. in Leipz. Lit. Zeit. 1829. nr. 154. col. 1226 sq. Hasius (l. l. §. 29.) candida protulit verba: „die Wundergeschichten (Mt. 1. 2. Luc. 1—2, 39.) können auf den Naturzusammenhang nicht zurückgeführt, *aber auch mit dem christl. Glauben nicht wesentlich verbunden werden.*"

3) Vid. Schleiermacher l. l. p. 42 sqq. Hase l. l. p. 37. Partes agunt contrarias Guerikius l. c. Müllerus l. l. p. 40 sqq. et Olshausenius in Comm. l. T. I. p. 134 sqq.

4) Neque enim probabilitate penitus destituta foret sententia, contradictiones illas narrationibus, traditione ore facta propagatis, facillime obortas, easdemque eo facilius esse condonandas, quoniam Matthaeus et Lucas alter alteri ignotus scripserit.

Digitized by Google

set conjuncta, aequabilitatis virtus, de qua supra §. 22. exposuimus, in illa etiam conspicua foret. Videntur potius narrationes illae, per longum temporis spatium in ore hominum propagatae, integritatem originalem et genuinam haud parum amisisse, priusquam scriptioni mandatae sint. His vero omnibus irretimur sane difficultatibus, quibus salva authentia evangelii Matthaeiani nostri expediri non possumus [5]). Neque interea cum de Wettio etiam Matth. 27, 5-8. (coll. Act. I. 18.) traditionem fluctuantem deprehenderim, quum V V. docti haud sine probabilitatis specie duas has, primo obtutu quidem diversas, relationes de Judae proditoris interitu componere ac conciliare susceperint. Vid. Guerike in l. l. p. 29. not. 51. p. 89. not. 149. cf. quae doctissime hac de re exposuit Usterius in Commentat. l. p. 66 sqq. et Hasius in l. l. §. 121. p. 165 (notit. liter. p. 166. not. 9 et 10.), cui assentiendum esse reor. De narratione baptismi Servatoris vid. supra §. 17. not. 9.

§. 42.

Quodsi ex instituto ad Ven. Schulzii observationes revertimur, laudavit Ille p. 305 sqq. plura loca rerum spectatori atque Apostolo interioris admissionis, ob narrandi genus perquam indefinitum et nimium negligenter comparatum, commode apteque haud convenientia e. g. c. IV, 24 sq. προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας - - - - καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς. c. VIII, 16. πάντας - - - ἐθεράπευσεν. c. IX, 35 sq. περιῆγεν τὰς πόλεις πάσας κ. τ. λ. θεραπεύων πᾶσαν νόσον, idque ineunte munere Matthaei apostolico, ubi ergo optimo jure narrationes diligentiores postulaveris. c. XI, 1. μετέβη ἐκεῖθεν (?), τοῦ διδάσκειν καὶ κηρύσσειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν. c. XII. 15. sq. καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί· καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς πάντας v. 23. καὶ ἐξίσταντο πάντες οἱ ὄχλοι. c. XIV, 14. 35 sq. (coll. narratione definita et concreta c. IX, 21.) c. XV, 30 sq. ὄχλοι πολλοὶ - - - καὶ ἑτέρους πολλοὺς c. XXI, 10. 14; add. c. X, 1. θεραπεύειν πᾶσαν νόσον. et pl. al. Quae loca eo gravioris esse momenti, contendit Ille, quum ex Domini effatis aliisque narrationibus evangelicis pro indubitato prodeat, nec Christum aegrotis omnibus ubicunque opitulatum fuisse semperque valuisse (coll. Luc. IV, 23 sq. Marc. VI, 5 sq. Matth. XIII, 58.), neque vero etiam Apostolos, cf. Matth. XVII, 14 sq. Marc. IX, 14 sq, Luc. IX, 37 sqq. - Cf. Hase in l. l. p. 68. — Ven. Heydenreichius (l. c. p. 386-388.) contra opposuit, locum Matth. IV, 24 sq. continere nuncium introductionis instar generalem, summam eorum, quae Jesus per totam vitam suam

5) Duo illa capita, Matth. 1. 2. in evangelio sec. Hebr. fuisse, idque in recensione ejusdem puriori ac minus depravata Nazaraeorum, certo non probat, eadem evangelii Matthaei aramaici partem originaliter effecisse integram et eandem omnino habuisse indolem, quam in Matthaeiano nostro hodie prae se ferunt. Si vero statuere placeat, evangelium infantiae illud, libellum originetenus effecisse peculiarem, ex traditione profectum, evangelio sec. Hebr. praepositum et a scriptore Matthaeiani nostri liberiorem in modum commentario suo praefixum, sententia, modo nobis enuntiata, longe etiam facilius firmaretur.

Digitized by Google

in Galilaea aliisque tractibus patrarit, comprehendentem, ita ut singula exempla subsequantur. — Versus autem illos de tota Salvatoris vita esse intelligendos, nullibi innuitur: v. 25. arcte potius cohaeret cum V, 1. Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους κ.τ.λ. Neque vero etiam statim subsequuntur singula sanationum exempla: 8, 1. 9, 20. 27. 12, 9 sq. — 8, 28 sq. 9, 32. 12, 22 sq. 15, 22 sq. 17, 14 sq. — 8, 5. 9, 1 sq. ab Heydenreichio allata. Porro ille vocabulo: „πας" non semper „omnis," sed notione restricta, varius, cujuscunque s. diversi generis (coll. Luc. 15, 1. Act. 10, 12. 13, 10. Genes. 40, 17.), sive tantummodo „magnam multitudinem" (coll. Matth. 3, 5. Act. 2, 5. 10, 38.) denotari voluit [1]). Etiamsi vero observationem hanc veram praedicaveris, in universum relationes Matthaei indefinitae parum eadem adjuvantur; neque vero etiam secunda vocis πας significatio in cunctis evangelii Matth. 11. cc. statuatur necesse est ac debet. Schottus Cel. adspersit l. c. verba haec: „Locis Matthaei laudatis hac in re simillima apparent plura in ceteris evangeliis obvia [2]), v. c. Luc. 4, 40. 5, 17. 6, 17. 19. al. Marc. 1, 33. 39." — quae vero Schotti animadversio omnino nihil probat contrarii, nam loca excitata ex evangeliis synopticis, a rerum narratarum spectatoribus non consignatis, assumta sunt. Pari modo loca ex evangelio Joannis a Fritzschio (l. c. p. XXI) allata, quae memoremus, vix digna aestimamus. Nam Jo. 2, 23. vox indefinita πᾶς non occurrit, ac praeterea Ioanni ap., rerum licet spectatori, enuntiationem minus definitam facilius condonari posse arbitramur, quoniam orationes ille potissimum prosequitur et ea ipsa de causa haud raro summam modo rerum gestarum impertit contractam. Quod vero ad locum Jo. 20, 30. attinet, hic quoque argumenti instar usurpari nequit; totius enim contextus ratione habita, quo v. 30 et 31. optime antecedentibus annectuntur, sub σημείοις non intelligenda esse „miracula," sed potius „resurrectionis signa", elucescit [3]). Singulis horum speciatim enarratis et in finem properans (quem nos quidem v. 31. posuerimus) commodissime sic scribere potuit Joannes. — Porro Fritzschius V. S. et in ipso Commentario ad Matthaeum aliquoties ad illas Ven. Schulzii observationes refellendas rediit, cf. p. 317. ad Matth. 8, 16. p. 428 ad Matth. 12, 15. p. 520 ad Matth. 15, 30; et p. 195 ad Matth. 4, 25. verba Viri doctissimi reperiuntur haec: „Neque satis tuto innixus videtur vir praeclarus verbis v. 24. προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας. Hanc talem enim ὑπερβολήν cuivis aegroto-„rum Jesu admotorum multitudinis sensu perfuso scriptori, sive inter-„fuisset rebus gestis, sive non interfuisset, licet condonemus." Quam

1) Cui assentitur Schott in l. l. p. 75. sub lit. b, remittens ad Bretschneideri lexicon manuale in libros N. T. sub v. πας. T. II. p. 237. ex. 238. in ed. I. (Add. Schleusneri lexicon. T. II. p. 418.)

2) Cf. Theile in diario l. p. 186. p. 195. et Bengel in libro supra laud. p. 573.

3) Cf. e. g. 1 Cor. 15, 5 — 7. coll. Hieron. vir. illustr. c. 2. Jacob. Vid. Lücxium in Comm. ad Jo. T. II. p. 505.

Digitized by Google

sententiam haud reprehendam consuerim, nisi Matthaeus tam saepe illo multitudinis sensu perfusus deprehenderetur.

§. 43.

Ven. Schulzius p. 306 sqq. sic fere pergit: „Cummaxime vero verba Matth. IX, 35 sqq., jam ante primam XII Apostolorum legationem (c. X. init.) posita, aptari conciliarique nequeunt cum relatione Lucae c. X, 1 sqq., optimâ cohaerentiâ insigni, ubi eadem sententia et aperte parallela ante legationem LXX discipulorum (XII enim Apostolorum legationem iam c. IX. in. enarravit Lucas) demum reperitur, quacum artissime illa cohaeret indeque pendet. Hic a Luca narratur: „ἀπέστειλεν αὐτοὺς ἀνὰ δύο πρὸ προσώπου αὐτοῦ εἰς πᾶσαν πόλιν καὶ τόπον, οὗ ἔμελλεν αὐτὸς ἔρχεσθαι = quo ipse tunc demum venturus erat; ac dein prolocutus est: ὁ μὲν θερισμὸς πολύς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι· κ. τ. λ. — Matthaeus jam exeunte capite nono narraverat, ipsum Magistrum omnes urbes vicosque doctrina de regno divino implevisse atque omne malum sustulisse; at nihilo secius statim post hanc sententiam sequitur praeceptio atque institutio XII Apostolorum (c. X.) ad idem illud officium, et initio capitis undecimi rursus idem de Domino commemoratur, ac si nunc a duodecim Apostolis (quorum reditus nullibi innuitur) remotus sua solus incessisset via: μετέβη ἐκεῖθεν (undenam?), ut doceret ac praedicaret in oppidis ipsorum!?" — Heydenreichius V.S. (in diario l. p. 389 - 392.), Matthaei relationes ll. cc. satis bene inter se cohaerere, demonstrare suscepit. Non quidem infitiatus sim, cohaerentiam quandam illis inesse, collato autem Lucae evangelio, haud facile in illius commodum decreveris; et porro Lucam narrationes, de quibus hic agitur, longe diligentius, accuratius ac magis perspicue exhibuisse, reputantes, quam Matthaeum, αὐτοψίας vestigia apud hunc necessario desideramus. Quodsi vero Vir ille praeclarus (p. 391.), duodecim Apostolos ad Servatorem esse reversos, quum postea in comitatu ejus denuo deprehendantur, per se intelligi, annotat, hoc quidem verum est; atqui eo ipso, quod scriptor evangelii Matthaeiani tam parum prodit, se rebus narratis interfuisse, ejusque relationes specie ac tenore indutae sint perquam indefinito, haud obscure probatur, quod probandum suscepimus. Lucas, circumstantiis accuratissime adjectis, apostolos ad Dominum rediisse enarrat c. IX, 10 sqq. coll. X, 17. Fritzschii V. S. autem animadversione in Comm. ad Matth. IX, 36. p. 355. „Ne quis hanc sententiam minus ele„ganter cum v. 35. connexam cum Ven. Schulzio l. l. p. 306 sq. existimet, „moneo, eam cum c. 10, 1 sq. cohaerere. Nam composita illa cum ea, „quae sequitur narratione hoc voluit significare scriptor, bonorum doc„torum, quam aliquando conquestus esset, inopiae Jesum ablegatis ad „docendum duodecim discipulis succurrisse. Itque Matthaei et Lucae „non magna discordia est," Ven. Schulzii observatio parum sane debilitatur et discordia nihilo minus re vera satis magna est.

§. 44.

„Quisnam haud miretur, interrogat Ven. Schulzius p. 307., quod in evangelio Matthaei de institutione et legatione LXX discipulorum,

Digitized by Google

re quidem gravissimi momenti, nec vola nec vestigium reperiatur et levissimum, quod porro Matthaeus ap., qui evangelii nostri laudatur auctor, de vocatu vitaeque conditione duodecim Domini apostolorum, imprimis sui ipsius, tam parum, quod enarraret, habuerit? ita ut adeo per Marcum et Lucam plus de hisce rebus percipiamus, quam per illum ipsum. (p. 308.) Secundum Lucae relationem (c. VI, 13 sq. coll. Marc. III, 13 sq.) duodecim Apostolos jam ante orationem montanam sibi elegit Salvator, apud Matthaeum vero prima illorum commemoratio et catalogus longe serius, capite demum decimo, legitur. Plures praeterea Magistri admonitiones cohortationesque ad Apostolos conversas, quas verisimile serioribus demum temporibus effatus est, evangelii Matthaeiani scriptor jam primae Apostolorum legationi interseruit, cui vero neque necessariae neque accommodatae fuisse videntur. cf. c. X, 17 sq. et al. cum locis parall. apud Lucam." Animadvertit Ven. Heydenreichius l. c., Matthaeum de LXX discipulis eodem, quo Joannes, jure silere potuisse; at bene est observandum, Joannem multo magis orationes spectasse, consilio suo faventes, res vero gestas, a Synopticis praecipue exhibitas, lectoribus Asiae minoris traditione evangelica maximam partem notas posuisse. (Vid. interea Hase in l. l. §. 106. p. 137.) Pari modo improbandam censemus Fritzschii V. S. sententiam (l. l. Prolegom. p. XXI.): „Sed ex hac re non hoc effecerim, „non esse librum a Matthaeo profectum, sed non omnes eum perse„cutum res memorabiles ex sua quadam norma judicasse," normam enim talem nullibi investigaveris. — Quod vero ad Ven. Schulzii argumentum (p. 308.) ex ll. Luc. VI, 13 sq. coll. Marc. III, 13 sq. et Matth. X. petitum attinet, non negligendum esse putamus, consortium XII Apostolorum paulatim demum esse conformatum, quod singulis etiam Apostolorum vocationibus comprobatur, cf. Matth. IV, 18. Marc. I, 16. Luc. V, 1 sqq. Matth. IX, 9. Jo. I, 35 sq. — Verissime autem observavit Ven. Schulzius, Matthaeum nonnulla Jesu monita primae Apostolorum legationi interseruisse, huic non satis idonea. Heydenreichius, Vir praeclarus, ut hisce expediretur difficultatibus, primum conjecit, Dominum verba Matth. 9, 37. 38. bis esse effatum, primum tempore, quo illa exhibuerit Matthaeus, dein quo Lucas c. 10, 2." Quum vero loca laudata aperte sint parallela, et Viri docti harmonistarum principia veterum summo jure aboleverint, viro critico sic conjectare non licere putamus, quamvis nos haud lateat, Magistro imaginem messis de regno divino fuisse usitatissimam (cf. v. c. Jo. 4, 35). Porro Ille fieri potuisse animadvertit (p. 393), ut Lucas plura, a Matthaeo et Marco legationi XII. Apostolorum tributa, in legationem LXX discipulorum transtulerit." Verum enimvero apud Lucam singula quaevis tam arcte sciteque inter se cohaerent, ut sententia illa omni probabilitate destituta videatur. Neque vero etiam Theilio, Viro doctiss., (in diario l. p. 204.), Salvatoris monita Luc. 9, 3 sq. Lucam in legatione LXX discipulorum in universum modo amplificata repetiisse c. X, 3 sqq. censenti, assentitus sim. — Quodsi ad locum revertimur, a Ven. Schulzio excitatum: Matth. X, 17 sqq., haec Salvatoris verba tempore verisimile dicta sunt, quo Judaeorum contuma-

Digitized by Google

cia in acerbissimam jam conversa erat persecutionem et Domini consilium in legandis Apostolis exiguos Palaestinae fines jam excesserat, cf. Matth. 24, 9. Luc. 21, 12. Vid. Lückius V. S. in Comm. ad Jo. T. II. p. 414 sqq. et Kuinoel. ad Matth. X. 1. 17. Idem jam scite senserunt PP. gr. (Theophyl. *οὐ μόνον πρὸς Ἰουδαίους πέμπειν μέλλει τοὺς μαθητάς, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ ἔθνη κ. τ. λ.* et dilucidius etiam Euthymius Zigaben. *προλέγει καὶ τὰ συμβησόμενα τούτοις οὐ μόνον τὰ μικρὸν ὕστερον, ἀλλὰ καὶ τὰ μακρὸν ὕστερον*), id quod Fritzschio V. S. non displicet. Vid. ejus Comm. ad Matth. X, 18. p. 374. Longe vero etiam notabilior nobis esse videtur locus Matth. X, 23. *οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.* Pro indubitato paene habemus, haec Domini verba hoc contextu non esse dicta, sed profecto multo serius. Neque enim Kuinoelii (in Comm. ad h. l.) Heydenreichii (in diario l. p. 391 not.) et jam Chrysostomi[1]) verborum laudatorum interpretationi possumus assentiri, qua referenda sint ad externum Christi cum Apostolis conventum, antequam Palaestinae oppida permeaverint, quam L. Peltus, Vir egregius eximiaque sollertia, jure notavit jejunam et ineptam expositionem. Intelligenda potius esse censemus de reditu Salvatoris ad regnum suum perficiendum. Hanc vero interpretationem unice veram praedicantes, collato Matth. X, 17 sqq., verba modo excitata contextu Matthaeiano a Magistro non enuntiata statuerimus, quod contra Peltum monitum sit, cujus sententia haec est: (in l. l. Prolegom. p. XXXI) „Defenderim tamen, hocce „dictum ipso hoc tempore, nec diversa occasione prolatum ideoque „solemnem *τοῦ ἔρχεσθαι* vocem adhibitam fuisse, ut explicatione res „non indigeret fusiore, donec illi redeuntes sine dubio ejus dicti, „quod tum vix intellexisse putandi sunt (quare uni Matthaeo in mente „haerebat, qui huic orationi aderat (!?)) explicationem vel a Christo „petiissent, vel ipsi invenissent. Christus igitur eorum fidem et in leve „discrimen adducere et a proximis iisque terra adscriptis ad remotiora „et quidem altiora adducere voluisse putandus est. Non enim de re „mox eventura eum verbum facere, eo arguitur, quod regum injici„tur mentio et crudelissimarum persequutionum (v. 17-22), (!? vid. „supra.), quae minime ad proximum pertinerent tempus, aptissima „vero erant ad praeparandos eorum animos ad atrocissima quaevis „olim perferenda[2]). Quae sententia universo orationis tenore confir„mari videtur. Quod multo etiam clarius patet in loco Luc. X, 17-24." Atqui cur non et Matth. X, 23. idem statuamus, quod permultis locis analogis confirmatur, non videmus, cf. imprimis §. 54. Pari modo, quae Matth. X, 19. reperiuntur, Lucas contextu exhibuit alio (c. XII, 11. 12.) eoque longe verisimiliori et magis authentico; apud hunc nimirum illa leguntur enuntiata in ultimo itinere Hierosolymitano. Sic

1) Chrysostom. Homil. XXXV ad Matth. „*οὐ φθάσετε περιελθόντες τὴν παλαιστίνην, καὶ εὐθέως ὑμᾶς καταλήψομαι.*"

2) Quod quidem serius voluisse putanda sunt, in prima vero legatione jam enuntiata Apostolorum animos ut praeparassent, tantum abfuit, ut perterritos eos reddidissent.

Digitized by Google

etiam, quae sunt Matth. X, 34 - 37., aperte brevi ante extremam demum καταστροφὴν a Domino depromta, Lucas brevius et contextu multo sane accuratiori consignavit c. XII, 51 - 53., ita ut haec Servatoris verba a Matthaeo propter eorum necessitudinem cum v. 17 sq. huic loco interserta esse videantur. Jesu monitum Matth. X, 38. quod redit c. 16, 24. cf. Luc. 9, 23. 14, 27. ea quidem utitur indole, ut pluries ab Illo repetitum esse possit; interim ob effati formam (σταυρὸς) seriori, quo Dominus crucis mortem jam definitius praedixerat, tempori assignandum esse videtur, nisi libentius conjeceris, dictionem illam ex eventu demum originem traxisse.

§. 45.

Deinde p. 308. scite percontatur Ven. Schulzius, „sitne probabile, Matthaeum, Apostolum, nil amplius, quod de se literis mandaret, habuisse (praesertim quum bene sit animadvertendum, illum ex omnium sententia inter populares fuisse versatum, hisque suum scripsisse evangelium, quibus incognitus esse non potuisset, quibus personam suam occultandi causa excogitari prorsus nequeat, quid? quod ne fieri quidem potuisset — neque vero etiam in libro ipso talis consilii vestigium occurrere), quam nomen sibi fuisse Ματθαῖος ὁ τελώνης et a Christo ipsum esse vocatum? c. IX, 9. et X, 3. Quis quaeso, ille inquit, ita de se ipso locutus sit, etiamsi lectoribus accuratius se prodere noluerit? Longe clarius perfectiusque hujus Apostoli electionem literis consignarunt Marcus et Lucas. Quibus videlicet Matthaeo illi et Levis nomen eundemque Alphaei fuisse filium, Magistro in domo sua parasse convivium etc., accepimus [1]). In recensu reliquorum etiam Apostolorum plura eaque accuratiora Marcus et Lucas exhibuerunt, quam Matthaeus v. c. Salvatorem Petri cognomen Simoni dedisse, et Jacobum Joannemque fratres compellasse Βοανηργὲς = *viol βροντῆς* etc. cf. Marc. III, 14 sqq. Luc. VI, 13 sq." His Ven. Schulzii observationibus addamus licet, Joannem apostolum et rerum narratarum spectatorem notitias saepenumero adspersisse speciales, quae apud Matthaeum plerumque desiderantur. Ita e. g. Joannes prodidit c. 18, 10. Petrum fuisse, qui Malcho dextram aurem desecuerit; apud Matthaeum c. 26, 51 legitur modo: *εἷς τῶν μετὰ Ἰησοῦ*. vid. Usteri l. l. p. 62. Porro solus Joannes crucis inscriptionem exhibuit integram c. 19, 20. et pl. al. Mire profecto Matthaei locum c. IX, 9. in utramque partem interpretati sunt VV. docti, aliis nimirum Matthaei vocatione ad Apostolatum fusius commemorata haud obscure indicari, Matthaeum ap. evangelii esse auctorem [2]), aliis ex ejusdem loci indole, verius ex-

1) Neque enim Heydenreichio, Dav. Michaelis conjecturae (vid. Einl. ins N. T. T. II. p. 934. ed. 4.) innixo, sub Levis et Matthaei nominibus diversas personas intelligendas esse profitenti, assentiri nos posse, jam supra §. 1. not. 3. innuimus.

2) Vid. Storr's Dogmatik übersetzt von Flatt, I. p. 47. et Paulus Conserv. I. p. 158. coll. ejusd. exeget. Handbuch T. I. P. 1. p. 29. §. 50.

Digitized by Google

plorata, contrariam elucere, opinantibus. Quod ad priorum attinet sententiam, monemus, narratione fusiori nulla ratione confirmari, Matthaeum ap. evangelii esse auctorem, quum et aliae Apostolorum vocationes aeque enarrate in eodem evangelio reperiantur relatae e. g. c. IV, 18-22. — Heydenreichius V. S. observationi Ven. Schulzii supra excitatae opposuit (in diario laud. p. 395 sqq. coll. p. 189), Joannem de sua electione aeque parum retulisse, ac Matthaeum, nec non Bengelius (in l. l. p. 574.) animadvertit: „si Matthaeus de Apostolis atque imprimis de se ipso plura prodidisset, libri suppositicii suspicio injiceretur." Verum enimvero, cunctis sedulo perpensis, sic de relatione Matthaeiana statuendum esse putamus. Negari quidem nequit, in loco illo interpretando haud parum pendere judicium a cujusvis sensu subjectivo: interim neque cum Guerikio (in l. l. p. 31.) in verbis, opinamur, simplicissimis: Ἀκολούθει μοι· καὶ ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ, vividissimam cernere possumus rerum spectatoris αὐτοψίαν, neque cum Heydenreichio (l. l. p. 397.) et Theilio (l. l. p. 202.), modestiae Apostoli vestigium. Locis autem Matth. IX, 9 et Jo. I, 35 sqq. comparatis, nobis certe luculenter patet, quaenam ac qualia sint verba testis oculati, quaenam ejus, qui rebus narratis non interfuerit. Qua de causa dicas non licet, Matthaeum eadem se occultasse modestia, qua Joannem, nam huic sententiae cum totius orationis tenor, tum vera testis oculati indoles adversatur. Quae quum ita sint, parte altera urgeatur ne necesse quidem est, Matthaeum l. c. tertia persona de se locutum esse, quod jam Faustum, Numidam, antiquum Manichaeorum sodalem eruditissimum, offendit (cf. Augustin. contr. Faustum L. XXXIII. c. 3. in Opp. Vol. VIII. p. 329. 30. ed. Benedictin.), praesertim quum adversarii similia veterum afferant exempla (e. g. Julii Caesaris, Herodoti aliorumque, vid. Dan. 1, 6. Jer. 32, 27. Joan. 13, 23. 18, 16. 19, 26. 21, 7. 20.) [3]). Vid. supra §. 33. Faustus et alias difficultates authentiae evangelii Matthaeiani obstantes excitavit; interea singulis modo acquievit significationibus, neque vero etiam longius progredi commode potuit, quum authentia librorum Canonis N. T. temporibus illis nimium firmiter jam esset sancta et stabilita. Ita Ille e. g. authentiam evangeliorum detrectare tentavit sagaci titulorum expositione, „praepositionem scilicet κατὰ remotiorem tantummodo significare Apostolorum auctoritatem" (vid. Augustin. in l. l. L. XXXII, 2. in Opp. Vol. VIII. p. 320. ed. cit. coll. L. XXXIII. c. 2.) Ex hac vero observatione nihil colligi posse contra evangelii nostri authentiam,

3) Laudare licebat, quae Orellius (l. in introit. cit.) ad illum Augustini locum scite observavit verbis hisce: „Haud male hoc quidem refutasse censendus est Augustinus: ‚quod nescio, inquit, utrum de errore imperitiae dixerit (Faustus), an de errore fallaciae. Sed non usque adeo imperitam putaverim, ut nec legerit, nec audierit, solere scriptores rerum gestarum, quum in suam personam venerint, ita se (f. saepe) contexere, tanquam de alio narrent, quod de se narrant.' — Sed quum reliquae Matthaei, quem perhibent, narrationes non minus sint obliquae, id est, quales a teste oculato profectae esse vix potuerint, verum quasi per transennam vidisse concedemus acutissimum haereticum."

Digitized by Google

nemo non ignorat, quamvis Eckermannus (in l. theol. Beiträge T. V. fasc. 2. p. 156 sqq.) et Anonymus quidam (in d. Beitr. z. Beförd. des vernünft. Denken's in d. Relig. XVI. 1 sqq.) eidem argumento institerint. Longe veriorem tituli evangeliorum interpretationem exhibuit Fritzschius V. S. verbis: „Evangelium prout id literis consignavit Matthaeus," (vid. ejus Comm. ad Matth. p. 1 sqq.), ita ut non tantum praedicetur auctor, sed simul etiam innuatur, unum idemque Christi evangelium a pluribus esse consignatum [5]).

§. 46.

Jam vero progrediamur ad materiam longe uberiorem et gravissimi sane momenti ad nostram de authentia evangelii Matthaeiani sententiam confirmandam. Scilicet p. 309 sqq. singula recensuit Ven. Schulzius exempla relationum a Matthaeo duplicatarum et multiplicando auctarum, quarum loco apud ceteros evangelistas relationes simplicius enarratae leguntur. In universum jam supra §. 38. fin. judicium nostrum, quantulumcunque sit, hac de re adspersimus. — Schottus Cel. (in l. l. p. 76. sub lit. d.) verba depromsit, nobis certe improbanda, haec: „quod illa potissimum dicta „et eventa attinet, quae ap. Matth. dicunt narrando aucta sive dupli„cata, pluribus quidem locis omnino non est, quod dubitemus, idem „effatum (v. c. Matth. 17, 20. 21, 21.) saepius enuntiari, eandemque „rem (v. c. Matth. 9, 33 sqq. 12, 24 sqq.) similiter bis accidere po„tuisse, etsi apud alios evangelistas semel tantum narrata fuerit." Quod ad hanc sententiam in universum attinet, optimo jure verbis utimur Roedigeri, qui de Fritzschii V. S. sententia, (in Comm. ad Matth. Proleg. p. XXI) eadem amplectente, haud immerito: „omni, ni fallor, probabilitate destituta sunt." (vid. scriptum laud. p. 8. not. ††.) Porro reputa quaeso, loca ista, a Ven. Schotto excitata, inter permulta longe graviora minimi esse momenti (vid. infra). Pari modo adversatur Theilius, (in diario l. T. II. p. 186 sqq.). Quaestioni autem ab illo objectae, „num duplicationes istae de industria ac consulto factae sint"? sic respondendum esse arbitramur. Videntur quidem primo obtutu Salvatoris praeclare facta duplicando opera data mirabilius esse reddita, veluti jam Herderus (vid. Opp. Tom. XII. p. 34 sqq.) duplicationibus miraculum fuisse auctum contendit. Atqui non videmus, quî tale consilium cum simplici ac probo evangelii scriptoris animo conciliaveris. Rem potius ita explicandam censemus. Duplicationum origo nostra sententia in indole atque natura traditionis evangelicae, ore ho-

5) Vid. Berliner Jahrbücher f. wissensch. Kritik. Septembr. 1827. nr. 167. col. 1339. Schott in l. l. p. 26 not. 2. Winer's Grammatik, ed. 3. p. 162. cf. Paulus Conserv. I. p. 134. et ejusd. Exegetisch. Handbuch. T. I. P. 1. p. 59. Schmidt Einl. p. 22. not. a. de Wette l. l. p. 130. Guerike l. l. p. 24. not. 45. Kuinoel Comm. Vol. I. ed. 1. Proleg. p. 10. Olshausen in Comm. l. in introduct. p. 10. not. Exempla collecta reperiuntur in Nova biblioth. Lubec. II. p. 105 sqq. De aetate titulorum evv. vid. Eichhorn Einl. ins N. T. I. p. 636 sqq.

Digitized by Google

minum propagatae, quaerenda est. In hac enim una eademque res frequentius enarrata, paulatim in circumstantiis etc. haud raro plus minusve mutata, in duo facile excrescere potuit facta. Tum vero etiam in traditione evangelica jam aevo apostolico studium propalam conspicitur res gestas augendi [1]) amplificandique. Firmissime autem hac efficitur observatione, scriptorem evangelii Matthaeiani nullo modo rebus narratis testem oculatum interfuisse, sed potius de traditione evangelica, ex qua hauserit, seriori dependisse. Heydenreichius contra (in diario l. p. 401.), hujusmodi duplicationes apud reliquos etiam evangelistas occurrere, affirmat, ubi apud Matthaeum relatio simplex legatur, v. c. Luc. XXIV, 4. duos commemorari angelos ap. Matth. XXVIII, 5. (et Marc. 16, 5.) modo unum; daemoniacum, de quo Marc. 5, 1 sq. Luc. 8, 27 sqq., eadem fere loquentem introduci, quae et alius daemoniacus, cujus apud Matthaeum nulla fiat mentio, secundum illos dixerit, coll. Marc. 1, 24. Luc. 14, 34; bis Dominum apud Lucam Hierosolymorum eversionem annuntiasse c. 19, 41 sq. 21, 5 sqq. ubi Matthaeus postremum modo vaticinium exhibuerit; porro eadem vel simillima Jesu effata repetita legi, cf. Luc. 9, 26 coll. 12, 9; c. 11, 43. coll. 20, 46; c. 13, 15. coll. 14, 5. et Matth. 12, 11. 12; c. 14, 11. coll. 18, 14; c. 17, 24. coll. 21, 35; quin adeo apud ipsum Joannem e. g. c. 5, 30. coll. 6, 38; c. 7, 33. 34. coll. 8, 21; c. 8, 12. coll. 12, 46; c. 12, 47. coll. 3, 17 et al. [2]) Ad primum vero quod attinet locum, bene est observandum, angelorum apparitionem positam esse extra certos historiae evangelicae limites. [3]) Potissimum autem de omnibus illis Marci et Lucae locis laudatis idem valet, quod jam supra (§. 38. med.) innuimus. Probandum enim probare omnino non possunt, sed firmissimo potius sunt documento, neque horum etiam evangeliorum auctores testes fuisse oculatos auritosque. Praeterea vero duplicationum in evangelio Matthaeiano obviarum numerus est tantus, ut illud multo minus etiam rerum spectatori atque Apostolo possit tribui, quam ipsos Marci Lucaeque commentarios. Quod denique ad Joannem pertinet, locorum excitatorum similitudinem in quibusdam remotiorem tantum deprehendimus. Consimilia vero ita comparata sunt et contextui tam bene interserta, ut nobis certe, ne eadem, diversis occasionibus oblatis, a Domino bis sint enuntiata, suspicio moveatur nulla.

§. 47.

Primum illiusmodi duplicationis exemplum excitavit Ven. Schulzius l. c. Matth. VIII, 28 sqq. Matthaeus nimirum duos commemorat dae-

---

1) Ita e. g. eventus Matth. 21, 19. longe mirabilius narratur, quam Marc. 11, 20; apud Matthaeum enim arbor illico exarescit. Vid. alia exempla apud Herderum l. c. Cf. interea Hasium in l. l. §. 117. p. 153 sqq. — 2) Assentitur Schottus Cel. in l. l. p. 76 sub lit. d. 3) Vid. notit. literar. apud Hasium in l. l. p. 202. not. 6. — Contradictio ex diversis relationibus orta, ac nulla profecto ratione solvenda, levioris est momenti, (Vid. Lückius V. S. in Comm. ad Jo. T. II. p. 498 sqq.

Digitized by Google

moniacos, unum Marcus et Lucas (Marc. V, 1 sqq. Luc. VIII, 26 sqq). Quae apud hos unus, eadem secundum Matthaeum duo illi et dicunt et faciunt. Unum idemque subesse factum, addubitari nequit. Etiamsi vero taceamus, pergit Ille, non verisimilem esse duorum daemoniacorum, solitudinis adamantium, consortionem, tota tamen narrandi ratio Matthaeiana a Marco et Luca claritudine perspicuitateque longe superatur. Porro περιστάσις singulae a Matthaeo sunt omissae,[1]) nec dicitur, quo daemoniaci pervenerint, quin ne innuitur quidem, eosdem re vera esse sanatos. Tota narratio in eo finitur, quod daemones in porcos evecti sint, hi vero in lacum mersi perierint pastoresque dein fugerint: ac si in eo caput rei ac momentum primarium positum fuisset. Comparatis vero relationibus Marci Lucaeque, hos a Matthaeo nulla ratione dependisse, luculenter procedit." [2]) Interim omnia VV. doctorum ad diversas Synopticorum relationes componendi conciliandique pericula [3]), quale jam Chrysostomus artificiosius fecit (Homil. XXIX ad Matth.): „ἐμοὶ δοκεῖ τὸν χαλεπώτερον τούτων ἐπιλεξάμενος ὁ λουκᾶς εἰμηκέναι" improbanda esse censemus. Heydenreichius V. S. (in diario l. p. 402 - 405.) contra animadvertit, Matthaeum rei narratae non fuisse testem oculatum, miraculum enim patratum fuisse, antequam Domini apostolis interioris admissionis adscriptus ille sit, nam vocationem suam postea demum ipsum enarrare, et locis parallelis et ipso Matthaeo evidenter confirmari, apostolos miraculo huic non interfuisse, coll Marc. 5, 1. 2. 18. Luc. 8, 26. 27. 37. coll. Matth. 9, 1. Facile itaque Synopticorum relationibus numeri diversitatem intercedere potuisse, dum forsan ex daemonum multitudine, qua vexatum se crediderit daemoniacus, colligeretur, plures talium aegrotorum illic versatos esse [4]). At nihilo secius scrupulus nobis injicitur, cur tandem ipse Matthaeus, Apostolus, falsam profecto relationem exhibuerit, Marcus autem et Lucas vere authenticam longeque accuratiorem? Hac ergo ex parte Apostoli persona non optima gaudet conditione. —

---

1) Ita e. g. apud Matthaeum non narratur, Dominum daemoniacum nomen interrogasse, quum Marci atque imprimis Lucae relatio tam clara sit ac perspicua, ut a teste oculato profecta videatur; Matthaeiana vero tantopere constricta comparet, ut loci quidam, narrationum parallelarum nulla ratione habita, commode explicari nequeant: ad contextum v. 31. intelligendum ex Marco et Luca supplebis, Servatorem daemones jam exire jussisse. Ipse Olshausenius animadvertit (Comm. l. T. I. p. 285.), Matthaeum aegroti illius sanationem Marco et Luca longe imperfectius delineasse.

2) **Statuendum saltem foret, illos Matthaeum fide indignum habuisse, et ea ipsa de causa duorum daemoniacorum loco posuisse unum. At traditio evangelica res gestas non modo non deminuit, sed potius amplificat, vid. §. 46. 3) Vid. Kuinoel. Comm. ad h. l. Fritzschium in Comm. ad Matth. VIII, 28 sqq. p. 327. 4) Vel duos saltem, addimus; nam et nobis haec conjectura non displicet, praesertim quum apud Matthaeum initium versus 31. illi favere videatur.**

Digitized by Google

§. 48.

Pariter hujusmodi duplicationem laudavit Ven. Schulzius „Matth. XX, 29 sqq. Hîc de duobus narratur caecis ad Hierichuntem, apud Marcum (c. X, 46 sqq.) et Lucam (c. XVIII, 35 sqq.) de uno tantum. Marcus adeo nomen caeci illius ac patris exhibuit v. 46. *υἱὸς* Τιμαίου, Βαρτίμαιος ὁ τυφλὸς [1]). In ceteris quoque, verissime animadvertit Ille p. 310, judicium, opinionum antecaptarum imperio haud praepeditum, relationem Marci et Lucae Matthaeianae censebit praeferendam. Nulla porro opus esse argumentatione, neque etiam hoc loco illos de Matthaeo pendisse; et quum Marcus et Lucas in singulis rursus inter se discrepent, neque et hos invicem se exscripsisse. Praeterea, observat Ille, Matth. IX, 27 sqq. duo commemorantur caeci, qui una, et simillimis circumstantiis verbisque adspersis, sanatione a Christo donantur, cujus aliorum evangelistarum nullus mentionem fecit." Bengelius (in l. l. p. 574.) opposuit huic Ven. Schulzii observationi, opinor, verissimae, „Marcum et Lucam quoque inter se dissentire, interrogans: cur Matthaei relationem rejiciamus, qua reliquorum evangelistarum narrationes possunt conciliari?" At dissensio Marci et Lucae omnino nil contrarii probat, manifestat potius, utrumque evangelistam alium relatorem fuisse secutum, et quum Lucas res in urbe illa gestas c. XIX. 1 sqq. diligentius narraverit, sine dubio etiam narratio ipsius, secundum quam Dominus caecum sanavit, *dum ad Hierichuntem appropinquaret*, praeferenda est. Quid vero de interrogatione illa putandum sit, statim videbimus. Heydenreichius (diar. l. p. 405 sq.), Matthaeum apostolum sanationi coecorum illorum prope Hierichuntem certo testem oculatum interfuisse, affirmat, et ea de causa non esse, quod dubitemus, ipsum in hujus rei narratione fide esse dignissimum [2]). Ceteros evangelistas caeci unius tantum mentionem fecisse, quod alter ignotus quidam fuerit; aut, ut I. Chstph. Frid. Schulzio (in l. Anmerk. zu Michaelis Anmerk f. Ungelehrte fasc. I. p. 105.) placuit, quum caecus apud Lucam, dum urbem intraret Salvator, is vero apud Marcum, Illo urbem exeunte, sanatus sit, hos duos evangelistas facta retulisse diversa, a Matthaeo in unum copulata. Quod ad primam illam attinet sententiam, nobis sane est confitendum, meris eam annumerandam esse hypothesibus neque ullo in relationibus ipsis vestigio adjuvari; quum vero duumviri illi totam narrationem quam accuratissime depingant, intelligi nequit, cur ignoti illius ne verbo quidem mentionem fecerint. Pro secunda vero Heydenreichii sententia Matthaeus, res gestas copulando diversas, satis confuse et relatione vere historica,

1) Interim nemo facile Theilii verba (l. l. p. 196.) viro critico, opinor, indigna probarit, qui de notitia hac speciali asserit, eandem profecto esse: „eine ganz unnöthige Weitläufigkeit".

2) Dumne etiam hoc loco vestigia rerum spectatoris et levissima penitus desideraveris, Olshausenius (Comm. l. T. I. p. 750.) relationis illius synopticae indolem vere quidem satisque prudenter exposuit, neque tamen concessurus argumentum, quod necessarie, puto, inde redundat.

Digitized by Google

testi oculato propria, haud parum neglectâ, narrasset. Atqui persuasissimum nobis habemus, unum idemque factum tribus Synopticorum relationibus subesse, quod nostra sententia singulis verbis circumstantiisque parallelis firmissime comprobatur. Scriptor vero evangelii Matthaeiani miraculum illud, opinamur, jam traditione evangelica ita conformatum recepit, quum animi ejus probitati ac simplicitati piam miraculorum in gratiam Domini amplificandorum fraudem tribuere nequeamus.

§. 49.

Tertium maximeque notabile duplicationis exemplum detexit Ven. Schulzius Matth. XXI, 1 sqq; duo hoc loco commemorantur animalia, quibus Dominus in itinere Hierosolymitano novissimo usus sit, asello scilicet et asina, quum ceteri evangelistae de illo tantummodo narrent [1]), qui, ad usus sacros accommodatissimus [2]), symbolo pacis inserviat necdum vulgari usu inquinatus sit. Scite observat Vir Ille eruditiss. p. 310 sq., attentum primo obtutu non fugere, factum simplex a scriptore evangelii Matthaeiani, ratione habita vaticinii V. T. Zach. IX, 9., extensum esse et amplificatum, praesertim quum Joannes (c. XII, 16.), qui Salvatoris ovationem simplicissime narraverit, diserte affirmet, Apostolos serius demum ovationem illam sic esse interpretatos, et, dum ipsa fieret, sensum ejus internum ac spiritualem non perspexisse; quam vero explicationem facto aperte plus indidisse momenti, quam originaliter fuerit subintelligendum." Heydenreichius V. S., evangelii Matthaeiani fidem historicam vindicaturus, contendit (l. l. p. 406.), Dominum pullo tantum invectum esse, qua de causa Marcus Lucas et Joannes hujus solummodo mentionem fecerint, asinam vero simul esse adductam, ut pullus asininus discipulos eo facilius sequeretur, quod jam observavit Ven. Kuinoelius ad h. l. idem fere repetiit Olshausenius in Comm. l. T. I. p. 764. Verba autem c. 21, 7. ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν solummodo denotare, Magistrum uno animali insedisse, veluti Iliad. X, 513: ἵππων ἐπεβήσατο. Praeterea non esse verisimile, Matthaeum ad vaticinium illud respicientem factum amplificasse, quum Joannes quoque ad idem provocarit vaticinium idque ovatione Servatoris comprobatum crediderit. Cui observationi respondemus: Joannes rei narratae testis oculatus in istum errorem nulla ratione incidere potuit, potuit vero scriptor evangelii Matthaei, accepta referens, ac vaticinium illud male intelligens [3]), praesertim quum Judaeochristiano, vaticinia V. T. Messia quam accuratissime comprobata videre, cummaxime cordi fuerit. Theilius Vir doctiss. asserit (in diario l. p. 196. et T. VI. fasc. 1. p. 27.) de Matth. 21, 7., Matthaeum negligentiae in scribendo tantum culpam sibi conscivisse, nec Lucae

1) Marc. XI, 1 sqq. Luc. XIX, 29 sqq. Jo. XII, 14. Assentitur Fr. Fischerus in l. l. p. 117. 2) Cf. Deutr. 21, 3. 1 Sam. 6, 7. Virgil. Georg. L. IV. v. 540. 551. Ovid. Metam. 3, 12. Horat. Epod. 9, 22. 3) Vid. Luckius V. S. in Comm. ad Jo. T. II. p. 342.

Digitized by Google

magni posse imputari, quod pro verbis ἐπάνω αὐτῶν posuerit: ἐπὶ τὸν πῶλον; et Marcus sec. Lucam: ἐπ' αὐτῷ." Tali vero animadversione artem criticam superiorem acerrime laesam arbitramur, dum a falsa simul orditur Ille hypothesi, priores tres evangelistas invicem sese ante oculos habuisse. Quod denique ad verborum: ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν interpretationem et intellectum pertinet, monemus haec: Pronomen αὐτῶν cum referre licet ad τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, tum vero etiam cum Euthym. Zigab. et al. ad τὰ ἱμάτια.[4]) Interim relatio prior longe nobis videtur verisimilior, ambobus enim animalibus vestes a discipulis imponuntur ac deinde a Marco (XI, 7.) et Luca (XIX, 35.) verba similia (Marc. ἐκάθισεν Luc. ἐπεβίβασαν) ad τὸν πῶλον relata reperiuntur. Jam vero quaestio dijudicanda nobis injungitur multo sane difficilior, quomodo tandem rem ipsam sibi cogitarit evangelii Matthaeiani scriptor? Neque enim Censori grammaticae Wineri in N.T. (ed. 2.) anonymo (v. Wineri Novum diarium criticum T.V. fasc. 1. p. 49.), Theilio, Heydenreichio et Winero VV. SS. assentitus sim, verba: ἐπάνω αὐτῶν, negligenter esse dicta et ex certo quodam loquendi usu solummodo denotare, „Jesum uno animali vectatum esse", consentibus; nam exemplum illud analogum in Iliade laudatum non apprime quadrat et generalius, opinor, enuntiatur. Quae quum ita sint, Fritzschii V.S. sententiam (in Comm. ad Matth. p. 630.) „Quocirca non dubito, quin e Matthaei sententia utroque Jesus asino alternis vicibus vectatus sit," (quanquam ab Anonymo quodam (in Hallisch. allg. Lit. Zeit. 1828. T. I. nr. 1. col. 21.) in irrisionem vocatam) tuiti simus, nisi ratam habuissemus conjecturam, scriptorem evangelii nostri de equitandi ratione satis incuriosum fuisse, totoque animo potius spectasse prophetae vaticinium Salvatore, Messia, accuratissime adimpletum et comprobatum.

§. 50.

Alia duplicationum exempla laudavit Ven. Schulzius haec: Duplex apud Matthaeum legitur saturatio; c. XIV, 13 sqq. quinque millia hominum quinque panibus et c. XV, 32 sqq. quatuor millia hominum septem panibus satiantur, de qua apud Joannem et Lucam nulla fit mentio, sed prima tantum narratur, Jo. VI, 1. 2. init. 4-15. Luc. IX, 10-17.[1]). Multis περιστάσεσι ad summam sane evehitur verimilitudinem, unum idemque miraculum utrique subesse narrationi, ita ut numeri solum, traditione ore propagata facile commutati, praeter quos fere omnia inter se conspirant, duplicationi dederint ansam. Marco etiam jam duplicata haec relatio tradita est. c. VI, 31 sqq. VIII, 1 sqq." Ad hanc vero observationem, quam arbitramur verissi-

4) Vid. Winer Grammatik. ed. 3. p. 149.

1) Assentitur F. Fischerus l.l. p. 116. Cf. Lückius V.S. in Comm. ad Jo. T. II. p. 57 sqq. Eichhorn. Einl. ins N. T. II. p. 132. Fritzschius Comm. ad Matth. 15, 32. p. 523. Hase in l. l. §. 90. p. 121. Olshausen. in Comm. I. T. I. p. 473. ubi merito Marci relationem Matthaeianâ pl. ll. longe accuratiorem laudavit; quae vero p. 500 sqq. contra Schulzii animadversiones disputavit, pedetentim facile repudiaveris.

Digitized by Google

mam, diligenter enodandam singulisque stabiliendam, ob loci angustias accingi proh dolor! nequimus. Respiciamus ergo tantum ea, quae Heydenreichius V. S. opposuit (in diar. l. p. 407.). Contendit Ille nimirum, a silentio non valere conclusionem. At reputa quaeso, observationem Ven. Schulzii exegetico-historicam haud spernendis profecto firmari posse argumentis. Porro Ille interrogat: annon Servator diversis temporibus similia patrare potuit miracula? Verum enimvero perquam mira nobis certe videtur consimilis cibatio in eodem, uti ex contextu conjeceris, loco bis facta idque secundum Matthaeum non satis longo temporis spatio praeterlapso. Sanationes repetitae longe minoris sunt momenti, quam repetitio insignissimi illius miraculi, praesertim quum Dominus, Joanne teste (c. VI, 26 sqq.), aegre tulerit, populum sensibus modo externis illud percepisse. Difficultas vero locis Matth. XVI, 9. 10. Marc. VIII, 19. 20. exorta, ab Heydenreichio et Bengelio (l. l. p. 575.) opposita, sententiam nostram refellere nequeat. Collatis enim locis Matth. 16, 9 sqq. et Marc. 8, 17 sqq. collustratur, Matthaeum Christi orationem non verbum de verbo accurate retulisse, ac deinde, (licentiae quidem non absolvendum, at contextu relationum quasi coactum,) secundae etiam cibationis mentionem fecisse.

§. 51.

Secundum Matthaeum a Christo bis efflagitant Pharisaei signum et ablegantur ad signum Jonae, ita ut locus c. XII, 38 sqq. sit parallelus cum Luc. XI, 29 sqq. coll. v. 16. et Matth. XVI, 1 sq. cum Marc. VIII, 11 sqq.; quorum quisque semel tantum flagitationem illam commemorat. Apud Marcum id, quod adversarii cupiunt, strictim denegat Christus, neque istos ad Jonae signum remittit [1])." Ven. Heydenreichius (in diario laud. p. 407 sqq.), quod idem Fritzschius V. S. (in Comm. ad Matth. Prolegom. p. XXII), rei naturae accommodatissimum esse putat, quod Pharisaei eandem bis repetierint flagitationem. Praeterea vero etiam Pharisaeorum postulationem non unam esse eandemque; nam Matth. c. XII. efflagitasse illos signum prioribus majus, cap. XVI. autem impudentius etiam expostulasse signum de coelo. Etiamsi vero, contendit Ille, jam c. XII de signo coelesti cogitandum sit, (quod Luc. XI, 17. re vera expostuletur), hoc quoque penitus fluere e rerum natura." Si vero etiam libenter concesseris, nullum ex ll. cc. hisce prodire argumentum contra evangelii nostri authentiam, permulta alia loca Ven. Schulzii observationem eo constantius confirmant. — Apud Matthaeum Pharisaei Christo bis objiciunt opprobrium, per Beelzebub ejusque auxilio ipsum expellere daemonia, c. IX, 33 sqq. et XII, 24 sqq., apud Marcum et Lucam semel tantum." Marc. III, 22 Luc. XI, 15. — Ven. Heydenreichius de hisce locis idem fere animadvertit, quod antecedentibus, ll. Jo. 5, 18. 10, 33. excitans." Neque tamen prorsus est omittendum, iisdem argumentum, ex relationibus petitum amplificatis

1) Fr. Fischerus, hisce duplicationibus (in l. l. p. 116.) assentitus, aliud etiam excitavit exemplum: Matth. 16, 19 et 18, 18.

Digitized by Google

duplicatisque, adaugeri firmiusque evadere. Idem valeret de duplicationis exemplo a Ven. Schulzio laudato Matth. XVII, 20. et c. XXI, 21., ubi montium per fidem transponendorum fit mentio, quum apud Marcum semel tantum hoc Domini monitum exhibitum sit c. XI, 23. apud Lucam vero nullibi, nisi Ven. Heydenreichius (p. 409) nobis persuasisset, effatum hujusmodi proverbiale pluries a Salvatore enuntiari commode potuisse coll. 1 Cor. 13, 2. Luc. 17, 6. Vid. Kuinoel. ad Matth. ll. cc. — Pari modo duplicationes, quae sequuntur, cum prioribus in unum demum argumentum conjunctas, cujusdam momenti aestimaverim. Matth. XXVI, 67 et c. XXVII, 27 sq. bis Dominus irridetur, apud Lucam semel modo c. XXII, 63 sqq.[2]); Matth. XXI, 34 sqq. de pluribus servis narratur, quod Lucas (c. XX, 10 sqq.) et Marcus (c. XII, 2 sqq.) de uno solum referunt. Secundum Matth XIV, 25 sqq. duo, Christus et Petrus, in lacu Galilaeo deambulant, apud Marcum (c VI, 48 sqq) et Joannem (c. VI, 19 sqq.) unus Christus[3]). Secundum Matth XII, 22. homo a Christo sanatus caecus fuit unaque mutus, apud Lucam c. XI, 14. tantum mutus. Conjectamus interea cum Olshausenio (Comm. l. T. I. p. 283. not.), Matthaeum l. c. aegrotum accuratius modo descripsisse.

§. 52.

Postremo tandem, antequam ad aliam transeamus materiem, paucis disserere liceat de Ven. Schulzii verbis his (p. 311.): Eine doppelte, zweimal aufs neue anhebende und auf die sinnlichste Weise ausgemalte Schilderung der als sichtbar und nahe bevorstehend gedachten Parusie des Herrn treffen wir einzig im Evangelium des Matthaeus an. cf. c. XXIV et XXV, 31 sqq.; Innuit Ven. Heydenreichius (in diario l. p. 409 sqq.), se quidem a partibus stare sententiae eorum, qui censeant, jam c. 24, 29. sermonem esse de reditu Domini ejusque patefactione ad judicium extremum; Matthaeum vero reditum illum varie fuisse contemplatum, ita ut duplex reditus adumbratio nisi necessaria, accommodatissima tamen compareat. Capite nimirum XXIV, 1 — 28. depingi reditum spiritualem sive invisibilem, quum Hierosolyma ac civitas Judaeorum everterentur, et doctrina Christiana praeclaram reportaret victoriam; v. 29 sqq. autem splendidiorem etiam Domini adventum adumbrari, visibilem, oculis conspicuum." At talem reditus Domini distinctionem neque apud Matthaeum neque in ceterorum Apostolorum mente cogitandique ratione investigare potuimus. Matth. c. XXIV et XXV sententia nostra ita inter se cohaerent, ut indicia signaque antecedentia subsequatur Salvatoris adventus, quocum conjunctum est judicium extremum. Hierosolymorum divinatio evertendorum posita fuit in circulo exspecta-

2) Rengelius l. l. p. 575. opposuit, „apud Marcum etiam bis Servatorem irrideri c. 14, 65. 15, 17 seqq." quae vero observatio omnino nihil probat contra, nam et Marco res illa jam ita conformata tradita est. 3) Mirum in modum Marcus hac de re nihil prodidit, quae tamen familiaritate Petri ap., qua usus est, facillime ipsi innotuerit. Vid. supra §. 38. Olshausenius l. modo cit. Matthaeianae relationi majoris diligentiae virtutem ob Petrum laudatum vindicavit.

Digitized by Google

tionum aevi illius. Haec enim calamitas signis postremis, Messiae adventui antecedentibus, annumerabatur. At nullo modo Hierosolymorum templique eversio τὴν παρουσίαν sive ἀποκάλυψιν ipsam efficit, sed modo signorum instar huic antecedit. Verissima itaque laudamus, quae animadvertit Ludovicus Pelt (in l. supra l.) Prolegom. p. XXXII. „Nihil „igitur morati commentum illud de duplici Christi reditu, altero visi„bili, altero invisibili, in eo potius acquiescimus, ut contendamus, modo „his, modo aliis hunc reditum significari imaginibus"[1]). — Bengelius interrogat (in l. l. p. 575.): annon orationis series apud Matthaeum c. 24, 1 — 25, 46. sit continua et apud Lucam potius persecta Luc. 17, 20 sqq. 21, 5 sqq.? Interim hac ipsa animadversione, opinor, probatur, Lucam Domini orationem magis authenticam exhibuisse, quam Matthaeum. Vid. infra §. 56.

§. 53.

Aeque firmum argumentum ad authentiam evangelii Matthaeiani impugnandam ex Ven. Schulzii observatione procedit p. 312. obvia. Verba Illius sunt fere haec:

Praeterea effata saepenumero eadem repetuntur, quae diversis locis, traditione non arcte conjuncta aut fortuita recordatione adducta atque in memoriam scriptoris revocata, hic illic, prouti quavis ratione fieri potuit, annexa reperiuntur atque interserta, etiamsi ex comparatione ceterorum evangelistarum satis evidenter pateat, effata illa partim aliis circumstantiis occasionibusque, partim relationibus prorsus diversis intercedentibus, originaliter esse enuntiata. Cf. c. V, 29. 30. cum c. XVIII, 8. 9.; c. VII, 16 sqq. cum c. XII, 33 sqq.; c. IX, 13. cum c. XII, 7; c. X, 19. 22. cum c. XXIV, 9 sqq. 13.; c. X, 38. 39. cum c. XVI, 24 sq.; c. XIII, 12. cum c. XXV, 29.; c. XVI, 19 sq. cum c. XVIII, 18 sq.; c. XXIV, 14. cum c. XXVI, 13. et al. Pari modo c. V, 32. cum XIX, 9. — Constat inter VV. doctos, verissime Ille pergit (p. 313.), scriptorem evangelii Matthaeiani non observasse pragmatismum, quem dicunt, tempore, loco ac περιστάσεσι rerum gestarum circumscriptum, testi oculato certo accommodatissimum maximeque convenientem, sed longe alium. Modo enim cognata atque similia ad magnas coacervat partes sectionesque, modo, ut vaticinia V. T. inserat, vel ob alias levioris momenti causas, ea, quae in recordatione copulavit, nulla paene loci, temporis ac personarum ratione habita, haud raro coagmentat. Quibuscum cohaeret, asserit Ille, usus formularum connectendi progrediendive indefinitarum frequentissimus e. g. ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, Τότε (quod ferme nonagies occurrit), Ἐκεῖθεν, Μετῆρεν ἐκεῖθεν, Προβὰς ἐκεῖθεν, Παρά-

1) Vid. H. A. Schott, Commentarius exegetico-dogmaticus in eos Christi sermones, qui de reditu ejus ad judicium futuro agunt. Jenae. 1820. 8. ad ll. cc. imprimis p. 73 sqq. Hase in l. l. §. 119. p. 158-162. Olshausen in Comm. laud. T. I. p. 855 sqq. ad Matth. 24, 1 — 25, 46.

Digitized by Google

γων ἐκεῖθεν, Ἐπορεύθη ἐκεῖθεν, aut πρὸς τὴν θάλασσαν, παρὰ τὴν θάλασσαν, Ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος· pariter Ἄνθρωπός, Εἷς, Γυνή, Εἷς τις, et pl. al. [1])". Theilius V. S. contendit (in diario l. p. 183. et in dissert. I. supra §. 19. not. 2. laud. p. 36 sqq.) omnes evangelistas nullius omnino pragmatismi historici in scribendo sibi fuisse conscios." Bene interea animadvertendum, non esse sermonem de pragmatismo classicorum vetustatis, aut recentioris aevi scriptorum, sed consentaneo omniumque potius animis quasi insito. Quum vero historia rerum a Domino gestarum animos Apostolorum vehementer excitaret penitusque moveret, pragmatismus ille biblicus satis perspicue emineret necesse fuit. Joannes ap. et in hacce quaestione solvenda firmissimo tibi erit documento; apud hunc nimirum luculenter conspicimus: „quae causa quamque rem antecesserit, quid sit consecutum," ut Usterii, Viri eruditiss., utar verbis (in l. l. p. 11). Quae enim a Theilio (l. l. p. 192.) opposita reperiuntur, improbanda censemus. Nam si in evangelio Joannis e. g. invasiones Judaeorum Christo adversariorum repetitae enumerantur et odium atque invidentia eorundem sensim sensimque crescens depingitur, eo ipso pragmatismus efficitur, puto, verissimus. Pari modo Ven. Schotti sententia (in l. l. p. 76. sub lit. c.): „Consilium, quod Matthaeus evangelio scribendo consequi voluit, non „impediebat auctorem, quo minus, quum vel omnino de tempore ob„servando minus esset sollicitus, vel praesidiis ad tempora accurate „observanda necessariis destitueretur, interdum similiter dicta et facta „eadem sectione complecteretur. De nonnullis locis in utramque par„tem disputatur, an Matthaeus quae diversis temporibus accidissent, „in unum locum congesserit," assensum ferre nostrum nequit. Haec tota enim Viri doctiss. enuntiatio cum vera Apostoli et rerum narratarum spectatoris indole ac natura pugnare nobis videtur. Si vero ad ceteros respicimus evangelistas, Joannem imprimis, nullo modo a Ven. Schotti partibus stare licet, praesertim quum testem oculatum atque auritum jam a priori haud facile praesidiis istis destitutum cogitaveris. Quod vero ad formulas illas indefinitas attinet, vid. supra §. 37.

§. 54.

Clarissimum sane illiusmodi coagmentationis exemplum deprehendit Ven. Schulzius in oratione montana Matth. c. V – VII.[1]). Inter VV. DD. plurimos optimo jure convenit, orationem laudatam, veluti eandem exhibuit Matthaeus, a Domino habitam non esse. Apparet potius primo obtutu, evangelistam plures Servatoris orationes effataque ipsi nota contexuisse ac magnum quasi orationis Messianae exemplar inde confecisse. Quod vero ita esse, non modo ex orationis ipsius indole interna satis certo cognoscitur, sed evidentius etiam col-

1) Cf. Schotti Isagoge p. 83. not. 3.

1) Vid. notit. liter. apud Kuinoel. ad Matth. c. V. Hase in l. l. p. 84 sqq. Quae vero a Fritzschio V. S. in Comm. ad Matth. VII, 27. p. 301. exposita leguntur, nominatim etiam contra Kuinoelium, improbanda censemus. Cf. Eichhorn Einl. ins N. T. I. p. 439 sqq. et in Allgem. Bibl. d. bibl. Liter. T. II. p. 351. T. III. p. 294. 1050.

Digitized by Google

latione evangelii Lucae confirmatur. In hoc enim singulae orationis illius partes dispersae et plane diversis locis occasionibusque enuntiatae reperiuntur ac deinde Lucas ipse orationem e monte habitam nobis servavit, eamque et longe breviorem et multo magis accommodatam, quod singulis statim patebit. Luc. VI, 20—49. Ea ipsa de causa Heydenreichii (l. l. p. 415.), qui observationem illam meris hypothesibus annumerat, sententiam necessario reprobandam censemus, quamvis ad Pauli V. S. auctoritatem provocarit, quamvis Peltus, Vir doctiss., cum Hasio (l. c.), eandem nuperrime sententiam amplexus sit, cujus verba ipsissima laudare liceat (in l. l. Prolegom. p. XXXI. not.): „Qui Matthaeum habent primi evangelii auctorem, quod de Aramaico „quidem archetypo non de Graeca compositione hic illic aucta mihi „videtur contendi posse, illos parciores esse conduceret in statuendis „memoriae erroribus mirisque diversissimarum orationum coagmentationibus. Observatio per se quidem vera, hunc auctorem haud raro „diversa conjungere Christi dicta, caute tamen adhibenda, nec nimis „late extendenda. Quod, ut hoc afferam, de oratione montana, a recentioribus rursum jam concedi solet. Hase l. l. §. 67". Bengelius (in l. l. p. 575.) quidem de oratione montana vere ita sese habere, quemadmodum statuerit Ven. Schulzius, concedens, interrogat tamen, an tandem pragmatismus talis testi oculato non conveniat? — si quid videmus, nulla ratione; facillime vero talem coagmentandi laborem conciliaveris cum indole viri apostolici, ut Marci et Lucae, scripta singula contexentium. Pari modo Olshausenius Cl. in Comm. laud. T. I. p. 186 sqq. indolem ac naturam orationis montanae verissime quidem indagavit, neque tamen, quae optimo putamus jure inde sint colligenda, admissurus. Neque vero etiam Theilio (in diario l. T. II. fasc. 2. p. 189 sqq), Lucae Joannisque evangeliorum ratione habita, assentiri possumus. Contendit Ille quidem p. 193., apud Joannem quoque plures orationes, c. XIII sq., in unam reperiri copulatas." Sed videamus Roedigeri V. doctiss. verba (l. l. p. 8.): „Ac jam tota libri scribendi institutio, ex qua „auctor multa aequalia coacervat, ab aetate, qualis erat prima apostolorum, simpliciori aliena mihi quidem videtur," et not. †††: „Itaque „conscriptionem Joannis quoque evangelii, apud quem simile quoddam „studium apparet, (cf. capp. 13-17.) ad inferiorem pertinere aetatem „censeo, qua ei contigerat Alexandrinae eruditionis esse particips (cf. „et evangelii init. alia.). Sed de Matthaei apostoli neque senectute neque sorte Joannis simile quidquam, quantum scio, constat." Interea etiamsi huic Roedigeri argumentationi, sane haud contemnendae, non prorsus assentitus sis, reputa tantum, Joannem in conscribendo evangelio suo orationes Salvatoris potissimum spectasse, neque ita vero evangelii Matthaeiani auctorem, ἀπομνημονεύματα contexentem. Dein autem in ratione orationum copulandarum apud Matthaeum et Joannem haud exiguam profecto detexeris differentiam. Stat ergo Ven. Schulzii observatio, nam et Fritzschii V. S. sententiam (l. l. Prolegom. p. XII.): „Sed hoc, nisi fallor, et in Matthaeo, et in Luca (v. c. c. 21.) et in omnibus rerum gestarum scriptoribus non ex fide, sed ex artificio (cf. Hase in l. l. §. 7. et scriptt. ibi laud.) auctorum existimandum est," ex parte tantum veram praedicemus. His vero de oratione montana in

Digitized by Google

universum disputatis ad singula quaedam paucis recurrere liceat. Duas Magistrum e monte habuisse orationes nullis plane firmatur argumentis; comparatione critica capp. Matth. V-VII cum Luc. VI, 17-49. pro indubitato evincitur, quamvis minores majoresve singulis intercedant diversitates, unam eandemque Domini subesse orationem. Monuimus jam supra, Lucam orationem montanam Matthaeo magis authenticam exhibuisse. Neque interea apud solum Lucam orationis forma authentica deprehenditur; primum enim orationi Lucanae desunt quaedam, quae eidem a Matthaeo non modo diserte assignantur, sed etiam ob indolem internam partem illius efficiunt integram; deinde vero apud Lucam quoque auctaria occurrunt e. g. 6, 39. 40. v. 24-26. quorum authentia jam propterea valde debilitatur, quod in oratione Matthaeiana, longe ampliori, desiderantur et v. 39. 40. Matthaeus alio eoque vere authentico exhibuit contextu c. 15, 14. c. 10, 24. 25. Forma igitur orationis montanae authentica dispertita est inter Matthaeum et Lucam; uti enim huic brevitatis laus tribuenda est, ita altera ex parte negari nequit, Matthaeum ipsa Salvatoris effata perfectius exhibuisse. Qua vero observatione Ven. Schulzii argumentum, ex orationis montanae indole summo jure petitum, nullo modo irritum redditur. Quodsi ad singula loca maximeque notabilia descendimus, prima nobis offertur formula precum a Christo praescripta: Matth. 6, 9-13. Luc. 11, 1-5. Matthaeus has preces orationi montanae tanquam partem integram interseruit. Contextus Matthaeianus simplex quidem est ac fluit e rerum natura, quum Paternoster breve contineat argumentum precum vere christianarum contra *την πολυλογίαν*. Lucas easdem preces contextu exhibuit alio idque occasione expresse allata ac consulto. Quum vero, Dominum eandem precandi formulam iisdem verbis discipulis suis bis dedisse, probabile non sit, Lucas autem occasionem et *περιστάσις* accurate adsperserit (apud hunc scilicet Dominum discipuli adeunt precibus, ut ipsos precari doceat, veluti Joannes quoque discipulos suos edocuerit), ad summam nobis certe evehitur verisimilitudinem, Lucam precum illarum contextum servasse unice verum. Ergo et h. l. in evangelio Matthaeiano testis oculatus penitus desideratur. Matthaeus c. VI, v. 19 usque ad c. VII, 23. plures sententias praeruptas in unum congessit locum, uti et alibi ob argumenti necessitudinem solet. Cf. Matth. 6, 19 sqq. cum Luc. 12, 33 sqq. Matth. 6, 22 sq. cum Luc. 11, 34. sq. Matth. 6, 24. cum Luc. 16, 13. Matth. 6, 25-34. cum Luc. 12, 22 med. - 32; apud Lucam oratio arctissime cohaeret cum antecedentibus, Matth. 7, 7-11. cum Luc. 11, 9 med. - 13., ubi Lucas contextum vere historicum retulisse videtur; adde, quod apud Matthaeum vv. 6. et 7-11. satis arbitrarium in collectoris modum interserti sunt, nam v. 12. ad v. 1. pro oratione contexta referendus est. Cf. porro Matth. 7, 13. cum Luc. 13, 24. med.; Matth. 7, 21-23. cum Luc. 13, 25-27. —

§. 55.

Ejusdem Ven. Schulzii observationis merito fit applicatio Matth. c. X; nam oratio illic tradita ad XII Apostolos legandos conversa, plura

Digitized by Google

Domini continet monita, quae a Luca diversis locis exhibita reperiuntur; praeterea etiam aliqua XII Apostolis dicta, apud Lucam (c. X.) ad LXX conversa leguntur, vid. supra §. 43 et 44. cf. Eichhorn Einl. I. p. 441 sqq. — Idem nostra sententia contendas licet de capite XIII, parabolis de natura legibusque regni coelestis referto. Rectissime animadvertit Ven. Schulzius (p. 314.), non esse probabile, has parabolas uno tenore a Christo esse recitatas, praesertim quum plures illarum partim apud Marcum et Lucam omnino non occurrant, partim in ll. parallelis (Marc. IV et Luc. VIII.) saltem non copulatae legantur, sed in Lucae evangelio diversis internectantur locis (c. X. c. XIII.). Praeterea quanto dilucidiorem parabolae interpretationem vides Luc. VIII, 11 sq., quam Matth. XIII, 18 sqq." — De studio scriptoris evangelii Matthaeiani parabolarum similitudinis causa interserendarum annectendarumque vid. Kuinoel. in Comm. ad Matth. 13, 1 sqq. 4, 23. 6, 9. c. 10. et Eichhorn allg. Bibl. T. V. p. 976. Wilke l. l. p. 77. et pl. al. Singulas interim parabolas nobis, brevitati cummaxime studentibus, h. l. non licet perlustrare. Quae vero Heydenreichius (in diario l. p. 416.) opposuit, levioris sane momenti aestimaverim. Quum e. g. „evangelistam ipsum parabolas cap. 13, 1 - 23; 24 - 30; v. 31. 32. et 33. tantum a Magistro junctim prolatas innuisse", asserit, nihilo secius tamen offendit talis parabolarum collectio, neque scio, cur coagmentandi studium non et h. l. agnoscamus, alias in evangelio Matthaei frequentissimum. Parabolam Matth. 13, 31 sqq. contextu prodidit Lucas vere authentico c. 13, 18 - 21. Deinde autem pauca monuisse condonaveris Lector benev. de Matthaei verbis notabilibus c. 13, 34. *ταῦτα πάντα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν παραβολαῖς τοῖς ὄχλοις, καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς·* Aliis Domini orationibus, apud Joannem potissimum obviis, Illum in loquendo non semper adhibuisse parabolas, luculenter confirmatur. Itaque haec scriptoris nostri observatio aperte enata conspicitur vel ex nimio amore ac studio vaticiniorum V. T. inserendorum, vel ex ampla parabolarum coagmentatione ipsa; apostolus vero ac rerum spectator veram historiam verisimile non ita laesisset. Denique tandem, quod contra Ven. Heydenreichium monitum velim, negari quidem nequit, Salvatorem aliquas hac occasione protulisse parabolas, quod et plurali numero (Marc. 4, 2. 33. *ἐν παραβολαῖς*) confirmatur; Matthaeus vero parabolas c. 13 *coagmentatas omnes* (et quae cap. 12. narrantur,) uno eodemque die a Domino dictas aperte indigitavit verbis 13, 1. *ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ*; quod fieri unquam potuisse, nemo facile animum induxerit. Et Matth. 13, 24 - 30. Lucas exhibuit loco prorsus alio. Cf. quoque Matth. 18, 12 - 14. cum Luc. 15, 4 - 7. Pari modo Ven. Schulzius orationes Christi contra Pharisaeos et legis peritos enuntiatas Matth. XXIII. optimo jure similem habuit coagmentationem cognatorum quidem Jesu monitorum, sed diversis temporibus occasionibusque prolatorum; quorum quaedam adeo formam, quam hodie prae se ferunt, per evangelii auctorem demum accepisse videantur, quum (uti e. g. v. 35.) apte intelligi a nobis nequeant, Dominum verbotenus sic esse locutum, statuentibus. In universum tanquam loca capitis illius parallela fere laudantur Luc. XX,

Digitized by Google

45 sqq. et Marc. XII, 38 sqq.; interim ad v. 4. jam comparetur oportet Luc. XI, 39 sqq., ad v. 13. Luc. XI, 52., ad v. 36. Luc. XIII, 34. etc.

§. 56.

Pariter denique eidem observationi obnoxia jure praedicavit Ven. Schulzius capp. XXIV et XXV, quorum argumentum ita sane comparatum est, ut hoc contextu ac dispositione et „mit diesem Totalgepräge", ut Viri ill. utamur verbis, a Domino ipso profectum esse nequeat. Plura Magistri effata, a Matthaeo interserta, apud Lucam loco ac contextu prorsus alio quaerenda nobis sunt, cf. Matth. 24, 37. cum Luc. 17, 26. Matth. 24, 40. cum Luc. 17, 34 sq. Matth. 24, 42. cum Luc. 12, 39 sqq. — Matth. 25, 14 sqq. cum Luc. 19, 11 sqq. — Hîc quoque plures coagmentatae reperiuntur parabolae ad commendandam perseverantiam et vigilantiam. Quum vero in cunctis ferme eadem redeat sententia earumque effectus eo ipso haud parum minuatur, contextus, apud Lucam obvius, ubi parabolae apparent segregatae, Matthaeiano longe praeferendus esse videtur, praesertim quum rationi, qua in docendo usus est Salvator, adversetur, quippe quem tantam parabolarum molem uno tenore coacervasse, haud dicamus. Porro vero etiam quo orationes illae Matth. 24. 25. habitae referuntur, dies jam aliis rebus gestis nimiopere refertus deprehenditur, quod rectissime statuit Schleiermacherus Cel. in l. l. p. 269 sqq. cf. Wilkius in l. l. p. 76 sqq. Atqui firmius etiam argumentum sagacissime indagavit Ven. Schulzius (p. 315.), quo, evangelii nostri auctorem rerum narratarum non fuisse testem oculatum, haud obscure probatur. Hic nimirum orationes falso, vidimus, coagmentatas, ita contemplatur ac si vere sic habitae sint, veluti easdem exhibuit. Oratio montana peculiariter annunciatur (*ἀνοίξας τὸ στόμα*, quod longiorem innuit sermonem) et tanquam totum in se cohaerens finitur c. 7, 28. Idem valet de oratione ad XII App. conversa, cf. Cap. X. v. 5. et XI, 1. — pariter de parabolis c. XIII copulatis cf. init. cap. et v. 34 sqq. et v. 53. — cf. quoque c. XIX, 1. XXVI, 1. Sic etiam orationes adversus Pharisaeos et quae c. 24. 25. reperiuntur, uno filo ac tenore ad umbilicum adducuntur. Heydenreichius V. S., ut hac expediretur difficultate, artificiosissime, puto, contendit: (in diario l. p. 421.), Matthaeum commode addere potuisse *καὶ ἐγένετο, ὅτε συνετέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους κ. τ. λ.* c. 7, 28. quia hujus orationis primordium ac finis a Domino vere hoc tempore dicta sint. — Theilius V. doctiss. (in diario l. p. 193.) objicit, Joannem quoque, per tria capp. orationibus in unum conjunctis, continuasse c. 18, 1. *ταῦτα εἰπὼν ἐξῆλθε κ. τ. λ.* Verum enimvero vox *ταῦτα* nullo modo necessarie respicit ad omnes priorum capp. orationes. Collatis potius quae doctissime exposuit Lückius V. S. in Comm. ad Jo. T. II. p. 400 sqq. et Knappius in Scriptis varii argum. ed. II. p. 273 not.), Theilii observatio facile concidit. Lucas vero c. 7, 1. optimo scribere potuit jure: *ἐπεὶ δὲ ἐπλήρωσε πάντα τὰ ῥήματα κ. τ. λ.* ipse enim orationi montanae non tam multa, alio tempore enuntiata, interseruerat, neque fuit ille testis oculatus et auritus.

Digitized by Google

§. 57.

His vero peractis, nobis quoque, Ven. Schulzium ex instituto pedetentim secutis, plura evangelii Matthaeiani loca recensui in calce sectionis secundae subjicere liceat, quae perspicuitate atque accurata diligentique narrandi ratione aliisque virtutibus a ceteris evangelistis longe profecto superantur. Ad hanc observationem confirmandam conferantur e. g. narrationes, quae sequuntur: Matth. 8, 5-13. coll. Luc. 7, 1-10. Centurionis servo Jesus absens medetur. Lucas totam narrationem longe diligentius ac perfectius exhibuit, quamvis Matthaeus servum paralyticum compellarit. Olshausenius Cl. in Comm. I. T. I. p. 253. hoc quidem concedens, negat tamen (in Comm. introduct. p. 13. not.), argumenta ex minus accurata narrandi ratione ad authentiam evangelii nostri subvertendam esse petenda. — Matth. 8, 14-16. coll. Marc. 1, 29-34 et Luc. IV, 38-41. narratio de sanatione socrus Petri. Matth. 9, 18 sqq. cum Marc. V, 22 sqq. et Luc. 8, 41 sqq. de filia Jairi rediviva. Vid. supra §. 33. et quae verissime adspersit Ven. Schulzius p. 316 sq. Quod ad narrationem Matth. 8, 14-16 attinet, asserit Ven. Heydenreichius, (l. l. p. 422.) Marcum eandem a Petro apostolo accuratius percepisse. Sed quid hac de re statuendum esse censeamus, vid. supra §. 38. Sic quoque difficultas e Lucae narratione accuratiori oborta non removeretur. Plures alias narrationes, in quibus Marcus se Matthaeo uberiorem, copiosiorem distinctioremque praestat, excitavit Halfeld (in Comment. supra §. 38 laud.) §. 15. p 12 sqq. coll. §. 18. — Matth. XI, init. coll. Luc. VII, 18 sqq. narratio de legatione Joannis b. ad Christum. vid. Schulzius in l. l. p. 317. coll. Heydenreich. in diario l. p. 424. — Lucas nihil memorat de eo, quod Joannes b., dum discipulos suos legaret, in custodia versatus sit. Matthaeus vero ob ea, quae antea c. 4, 12. tradiderat, hanc rem innuere debebat. Si Joannes b. in custodiam tunc temporis fuit conjectus, interrogatio ejusdem ad Dominum conversa facilius quidem explicatur. Mirum interea Joannem b. tam libera usum fuisse custodia, ut sec. Lucam discipulos suos convocare ac legare potuerit; quum autem custodia hujuscemodi liberior possit cogitari, Matthaeum erroris coarguere nequimus. Altera vero ex parte concedendum esse putamus, Lucam c. 7, 19. 21. 29. 30. longe accuratius exhibuisse relationem. Praeterea Matthaeus c. 11, 20-24 Domini effatum annexuit (idque quoniam antecedentibus Salvatoris verbis, quibus contumaciam aetatis suae perstrinxerat, apte quadrare ipsi videretur) quod apud Lucam contextu gaudet longe veriori in narratione de legandis LXX discipulis c. X, 12-15. — Idem statuimus de Matth. 11, 25-27. coll. Luc. X, 21-22. — Neque autem cum Ven. Schulzio (l. c.) textum Matthaeianum ob verba φίλος πλὴν (quam vocem Lucae esse usitatissimam exemplis idem ille consignavit in l. l. p. 263 sqq.) ξένης ap. Lucam frequenter obvia, textui Lucano attemperatum et inde pendentem censuerim, cf. Heydenreichium l. c. Haec enim colligendi ratio Gersdorfiana hac in re non satis certa est, et sua cuique sunt quaedam verba longe gratissima. —

Digitized by Google

Matth. XII, 9 sqq. coll. Marc. III ab init. et Luc. VI, 6 sqq. Manui tabidae Christus die Sabbathi medetur. Lucas accuratius refert, sanationem factam esse, dum synagogam introiret Christus, ἐν ἑτέρῳ σαββάτῳ. Apud Matthaeum homines haud amplius notati Christum statim interrogant, num die sabbathi sanare liceat? Longe vero diligentius et rei naturae multo magis convenienter enarrant Marcus et Lucas ll. cc. Quae vero a Ven. Heydenreichio contra disputata reperiuntur (in diar. l. p. 425 - 27.) ad summum modo probarent, hoc exemplum ad sententiam nostram tuendam minoris esse momenti; observatio enim ipsa textu evangeliorum synoptic. satis stabilita apparet.

§. 58.

Aliud maximeque notabile exemplum exposuit Ven. Schulzius p. 317 sqq. Luc. XI, 30 sqq. coll. Matth. XII, 40 sqq. Apud Lucam nimirum ablegat Dominus adversarios ad Jonae exemplum, qui Ninivitis eodem, quo filius hominis aequalibus suis modo, divino fuerit signo, quod facile intelligitur ac rerum naturae convenienter optimoque contextu legitur. Christus comparat nempe vitam Jonae ejusque praedicationem Niniviticam cum sua vita et praedicatione ad aequales suos conversa, ita ut comparatio mere sit spiritualis. Apud Matthaeum vero illam Servatoris demonstrationem prorsus aliter comparatam conspicimus; hîc enim Jonas et habitatio ipsius per triduum in ceti ventre non Ninivitis signo fuisse dicitur, sed potius Christi aequalibus esse debuisse, idque ita, ut Dominus per tres dies noctesque in sinu terrae futurus sit! — Salvatorem vero triginta sex circiter horas in antro sepulcrali recubuisse constat, et Illum praeterea tam distincte et definite de resurrectione sua praefatum esse, coll. imprimis Joan. XX, 9., jure addubitari, rectissime animadvertit Vir Ille eruditiss. p. 318 coll. p. 131. [1]) Quae quum ita sint, nobis certe necessario statuendum est, Matthaeum l. c. Domini effatum male intellexisse atque interpretationem effati illius huic loco omnino non accommodate inseruisse. Haec vero sententia confirmatur etiam collatione Matth. v. 41. 42. cum ll. apud Lucam parallelis, qui versus solummodo quadrant interpretationi, quam exhibuit Lucas. Porro autem, si vera apud Matthaeum exstaret effati illius expositio, mirum sane videretur, quomodo Servator perversam miraculi insignioris efflagitationem primum rejecerit, deinde vero nihilo secius ei satisfecerit, idque ita ut audientes ne e longinquo quidem intelligere potuissent [2]). Quae vero Heydenreichius V. S.

1) Vid. Hase §. 101. p. 131. Lücke V. S. Comm. ad Jo. I. p. 113 sqq. II. p. 498. Cf. Jo. 14, 1 - 4. 18 - 23. 28. 16, 16 sqq. coll. Matth. 16, 21. 17, 19. 23. 20, 19. 12, 40. 26, 32. cum ll. parall. ap. Marc. et Lucam. Vid. Paulus V. S. in l. das Leben Jesu als Grundlage einer reinen Gesch. des Urchrist. T. I. sect. 2. (Heidelb. 1828.) p. 205.

2) De signo Ionae vid. Rettig. in l. Ephemerides exegetico - theolog. fasc. III. p. 39 sqq., qui pariter statuit l. Matth. 12, 40. a Domino non esse dictum.

Digitized by Google

laudabili quidem eruditione, sed ut nobis quidem videtur aliquid fusius (l. l. p. 427-442) contra disputavit, secundum modo commemorata reprobanda esse censemus. Pari modo Ven. Schulzii sententiam impugnavit Fritzschius in Comm. ad Matth. XII, 39. 40. p. 444 sqq. et Olshausenius in Comm. l. T. I. p. 408 sqq.

§. 59.

Matth. XIV ab init. coll. Luc. IX, 7 sqq. et Marc. VI, 14 sqq. Quod apud Lucam alii de Joanne b. Herodi referunt, secundum Matthaeum Herodes ipse dicit. Marci relatio Matthaeianâ longe est perfectior ac magis perspicua". Comparatis interim, quae Heydenreichius V. S. (p. 442. 43.) contra disseruit, haud firmissimum inde petierim argumentum, quum primum non sine omni probabilitate Lucae narratio cum Matthaeiana possit conciliari ac deinde et Matthaeus ap. hanc rem per traditionem tantummodo percipere potuerit. Vid. Olshausen. in Comm. laud. T. I. ad Matth. 14, 2. p. 469. — Matth. XIV, 13 sqq. coll. Marc. VI, 30 sqq. Luc. IX, 10 sqq. Jo. VI ab init. vid. supra §. 50. — Matth. XV, ab init. coll. Marc. VII ab init. de manuum lavatione. Adversatur Ven. Heydenreichius relationibus studens aequiparandis (p. 444. 45.) — Matth. XVI, ab init. coll. Marc. VIII, ab init. Apud Matthaeum praeterea v. 1. et 4. repetuntur, quae jam sunt brevi antea c. XII, 38. 39. Contra disputavit Ven. Heydenreichius (p. 445. 46.) et contendit, locis Matth. 16, 1. 4. et 12, 38. 39. non unum idemque subesse factum. — Matth. XVIII, ab init. coll. Luc. IX, 28 sqq. Quibus Lucae relatio de transfiguratione in monte Matthaeianae antecellat virtutibus verissime exploravit Ven. Schulzius p. 319. nec quae ab Heydenreichio (p. 447.) opposita reperiuntur, Viri Illius animadversiones ulla, opinor, ratione refellere valent. — Matth. XVII, 14-21. coll. Marc. IX, 14-29. Luc. IX, 37-43. Daemoniacus (lunaticus), cui discipuli Jesu mederi non potuerant, a Christo persanatur. Apostoli ergo rei narratae testes oculati intererant, at nihilo minus Matthaeus a Luca et Marco perspicuitate diligentiaque longe superatur. — Heydenreichius quidem p. 447. 48. sed re vera haud prosperrimo successu adversatur; nemo e. g. conjecturam Viri doctiss. probaverit, Matthaeum ap. non necessario discipulis illis in daemoniaci sanatione interfuisse. — Matth. XIX, 16. ubi verba indefinita exstant εἷς προσελθών; Lucas c. XVIII, 18. accuratius ἄρχων τις. — Matth. XX, 20 sqq. coll. Marc. X, 35 sqq. Apud Matthaeum mater Jacobi et Joannis precibus Christum adiisse narratur. Marcus Apostolos, illius filios, ita praecantes introduxit. Heydenreichius V. S. (p. 449.) evangelistarum relationes suscepit conciliandas et Matthaeianam praedicavit perfectiorem. Sic Fritzschius quoque Matthaei narrationem habet verisimiliorem l. l. Prolegom. (p. XXIII.). Interim nos quoque argumentum inde non petamus, quum Matthaei narratio l. c. sane perfectior esse videatur, et intelligi possit, cur duumviri illi ipsi Magistrum istis precibus adire ausi non sint, graviter nimirum a Domino jam antea ad modestiam admoniti, cf. Matth. 18, 1 sqq. 19, 30. 20, 1 sqq. vid. quae verissime exposuit Kuinoel ad

Digitized by Google

Matth. 20, 20 sqq. — Matth. XVIII ab in. perspicuitate superatur a Marc. IX, 33 sqq. — Matth. XXIV init. coll. Marc. XIII init. et Luc. XXI, 5 sqq. In Hierosolymorum eversione adumbranda Matthaeus res singulas minus accurate delineavit, quam Marcus et Lucas ll. cc. quanquam ille his rebus narratis interfuisse dicitur. Marcus adeo v. 3. discipulorum nomina prodidit, Christum interrogantium; (quod probat Fritzschius in Comm. ad Matth. 24, 3. p. 697.) Matthaeus hic quoque indefinitum illud, et alias sibi usitatissimum: *καὶ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ* v. 1. et v. 3. cf. c. 14, 12. 15; 15, 12. 23. 17, 19. 18, 1. 26, 17. et al.; quin ibi etiam, ubi satis firmo statuere licet, discipulos jam adfuisse. Heydenreichius V. S. conjicit, vocem: *προσῆλθον* denotare: propius accedebant". — Quantopere porro narratio de unctione Christi Bethaniae Matth. XXVI, 6 sqq. (idem laudavit exemplum de Wettius V. S in l. l. p. 177.) et omnes, quae sequuntur, de passione et resurrectione Domini relationes, iis, quas Joannes ap. ac rerum spectator (c. XII sqq.) et partim Lucas etiam et Marcus literis mandarunt, perspicuitate aliisque virtutibus antecedunt! Mariam Salvatoris pedes unxisse et capillis extricasse, Judam proditorem adversatum et unguenti pretium ad ccc denarios licitatum esse a solo Joanne percipimus. Matthaeus de hisce omnibus nihil prodidit, quin adeo in unctionis discriptione ita declinat, ut unguentum in caput Salvatoris effusum esse referat. Heydenreichii V. S. hujus contradictionis solvendae rationem, unguentum scilicet et in pedes et in caput Domini effusum esse, nimis arbitrariam praedicamus. Vid. Lückius V. S. in Comm. ad Jo. II. p. 331. — Ab Joanne haec unctio ovationi Salvatoris prope antecedens narratur, a Matthaeo vero demum c. XXVI, 6; quum jam c. XXI, 1. Dominum Hierosolyma ovante populo ingressum esse prodiderit. Theilius Vir doctiss. (in diario l. T. II. fasc. 3. p. 349.) appellat hanc rem *ὕστερον πρώτερον*, mirum sane, et quod, quinque capitibus praetermissis, rerum spectatorem nulla ratione decet. Cf. de unctione illa Lückium V. S. in Comm. ad Jo. II. p. 329 sqq. Kuinoel. ad Matth. 26, 6. Eichhorn. Einl. II. p. 134. Hasium in l. l. §. 85. — Apud Matthaeum de Lazaro redivivo (Joan. XI.) nec vola nec vestigium occurrit, quod, ut jam supra innuimus (§. 34.), haud facile cum Apostoli et rerum a Domino gestarum spectatoris persona conciliaveris. Ratione vero habita originis evangeliorum trium synopticorum affatim explanatur, quemadmodum collectores, de traditione evangelica pendentes, una altera ve narratio primaria latere et hac de causa omitti potuerit. Vid. quae doctiss. hac de re disseruit Lückius V. S. in Comm. ad Jo. II. p. 317 sqq. coll. Hase in l. l. §. 109. p. 140. et not. 3.

§. 60.

Matth. XXVI, v. 17 sqq. sermo est de apparatu ad coenam paschalem, quae res a Matthaeo omnium indefinitissime maximeque negligenter narratur; pro hujus enim relatione omnes discipuli in urbem praemissi videntur; ex Luca vero c. XXII, 7 sqq. Petrum et Joannem fuisse discimus, et Marcus duos saltem commemorat c. XIV, 12 sqq. —

Digitized by Google

Adde mirum illud: πρὸς τὸν δεῖνα v. 18. Adversatur Ven. Heydenreichius l. l. p. 453 sqq. et Theilius V. S. contendit (in diario l. T. II. fasc. 2. p. 167.), Matthaeum, testem oculatum, non nomen, sed rem ipsam potius spectasse, qua de causa Marcus et Lucas mirum illud: τὸν δεῖνα non posuerint. Verum enimvero haec Theilii sententia cum vera testis oculati indole conciliari nequit; ac deinde, nisi Marci (c. 14, 13 sqq.) et Lucae (c. 22, 10 sqq.) exstarent relationes, mirabile illud πρὸς τὸν δεῖνα non intelligeretur. — Cf. praeterea Matth. XXVII, 16. cum Marc. XV, 6. 7; Matth. XXVII, 32 cum Marc. XV, 21. et Luc. XXIII, 26; Matth. XXVII, 44. cum Luc. XXIII, 39 sqq. Tum vero etiam de Josepho Arimathaeensi sepulturam Jesu curaturo Marcus (c. XV, 43 sqq.) et Lucas (c. XXIII, 50 sqq.) plura referunt eaque accuratius, quam Matthaeus (XXVII, 57). — Qua conditione consuetudineque Nicodemus cum Domino usus sit, ex solo Joannis evangelio percipimus, Jo. III, 1 sqq. c. XIX, 39. Quod Matthaeus ne nomen quidem discipuli illius perquam mirabilis commemoraverit, admodum sane offendimur. Asserit quidem Usterius, Vir praeclarus, (in l. l. p. 92.) „fortasse solus Joannes eum noverat, cum hominum certe oculos in se convertere noluerit;" quam vero observationem sufficere, negem. Ad ultimum tandem verissime animadvertit Ven. Schulzius (p. 321 sqq.), Apostolo et rerum narratarum spectatori omnino non quadrare relationem (Matth. XXVIII) de rebus, quae in resurrectione acciderint, visionum speciem prae se ferentem coll. imprimis Marc. XIV. Luc. XXIV. et Joan. XX. — Neque posse intelligi, cur Matthaeus omnium resurrecti apparitionum Hierosolymis et dubitationum XII Apostolorum, per illas remotarum, ne levissimam quidem fecerit mentionem cf. Joan. XX, 19 sqq. et Luc. XXIV, 13 sqq. 33 sqq. — Pari modo relatio Matth. XXVII, 53. traditioni evangelicae seriori assignanda nobis videtur, qua de re verissime Usterius in l. l. p. 80. „Quae et in terra et in coelo Christi morte imminente prodigiose sint „facta, trium evangeliorum scriptores non tanquam spectata, sed fama „et auditione accepta referunt; nam si ipsi spectassent, tum res ipsas „multo accuratius enarrassent, tum, quantopere spectatores illis es„sent commoti, referre haud neglexissent. Sed quid ista prodigia in „spectatorum animis effecerint, in evangeliis frustra quaeras"; et p. 83. „Scilicet scriptorem homines istos in vitam reduces spectasse vix quis„quam existimabit. Satis enim frigide atque ambigue res ab eo tra„ditur."

§. 61.

Ven. Schulzium hucusque secutis, aliorum nostrisque quantuliscunque observationibus intersertis, argumenta quaedam notabilia paucis excitare liceat, quum totum Matthaei evangelium hac ratione ob loci angustias perlustrare nequeamus. — Matth. 13, 57. coll. Luc. 4, 24. et Jo. 4, 44. Evangelia synoptica unam eandemque ll. cc. exhibuisse rem gestam, probavit Schleiermacherus in l. l. p. 63. cui assenitur Lückius in Comm. ad Jo. I. p. 664. Alio Matthaeus, alio eodem-

Digitized by Google

que longe maturiori Lucas tempore, ad quod etiam allusit Joannes, Dominum in synagoga Nazarethana docentem induxit; Lucas itaque verum temporis ordinem servavit. Aliud deinde argumentum haud contemnendum procedit ex comparatione Matth. XXVI, 22. cum Joan. XIII, 21 sqq. unde verissima Usterii verba (in l. l. p. 22.) „Sed, opinor, „ea causa in iis poni debet, ubi quemvis integre judicantem sentire „necesse est, quid sit, ipsum interfuisse, dein narrare; quid, fama „et auditione accepta referre." Apud Matthaeum nimirum singuli l. c. Jesum interrogant, num ipsi eum proditurі sint? Quibus Ille, qui frustum mecum in catino intinxerit, is me prodet; quo facto Judas e Domino quaerit, Isne ego sum, Rabbi? Cui Ille: tu dixisti. Hanc vero proditoris interrogationem nimis profecto protervam ac procacem nec Marcus neque Joannes exhibuerunt, quin in relatione Joannis, teste oculato dignissima, cogitari omnino nequit. cf. Joan. XIII, 25 sqq. Reputa porro, eundem Matthaeum jam antea memorasse, quemcunque (ἕκαστος) discipulorum e Domino quaesivisse, num ipse eum sit proditurus, et Dominum jam satis significanter respondisse. Pari modo Lucae verba v. 23. ἤρξαντο συζητεῖν πρὸς ἑαυτούς longe praeferenda censemus iis, quae sunt Matth. v. 22. ἤρξαντο λέγειν αὐτῷ. Apud Matthaeum non innuitur, Judam, proditorem tam moleste notatum, discessisse, quod postea demum ex versu 47. colligendum est. Ab Joanne vero tota ratio, qua Judas a Domino proditor significatur, longe profecto verisimilius est enarrata. Apud hunc enim propalam innuit quidem Jesus, unum discipulorum suorum fore proditorem, at Judam ipsum Petro solummodo et Joanni clanculum talem designat. Praeterea apprime vehementi convenit Petri animo, quod hic nec alius, quamvis omnes essent ἀπορούμενοι, definitiorem proditoris appeteret significationem. Vid. Lückius V. S. in Comm. l. II. p. 370. Usterius l. l. p. 22. Quae vero Theilius (in diario l. T. II. fasc. 3. p. 350 - 53.) Usterii V. S. observationibus opposuit, re diligentius perpensa, parum sane valent. Vid. praeterea, quae doctissime exposuit Ven. Schulzius in l. l. p. 265. p. 273. cf. et p. 268 sqq. p. 270 sub lit. d. imprimis vero p. 275 sqq. coll. Günther de mortis J. C. fine salutari. Gottingae. 1830. p 28. not. 34.

§. 62.

Matth. XXI, 12 - 16. coll. Joan. II, 13 - 22. Narratio de tabernariis et mensariis templo pulsis. Persuasum nobis habemus, solum Joannem hanc narrationem contextu vere chronologico exhibuisse; nam nullo modo a partibus stare possumus eorum, qui eandem rem bis accidisse contendant, quod Ven. Tholuccus imprimis defendit in Comm. ad Jo. T. I. p. 69. ac superrime Olshausenius quoque (Comm. l. T. I. p. 772 sqq.) Cf. Hase in l. l. p. 74. not. 4. Praeterea Joannes hic quoque rerum narratarum testem oculatum luculentissime se prodidit, quippe qui v. 19 ipsissima Domini verba servarit, quin adeo rem minimi momenti accurate depinxerit: ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων (quod jam probe observavit b. Hemsenius in l. l. p. 195.) Theilius V. S. opposuit (in diario l. p. 350.), rem illam ob verba Christi v. 19. obvia,

Digitized by Google

quibus ad mortem et resurrectionem Domini alludatur, non tam mature accidere potuisse". Interim bene est animadvertendum, Joannem Salvatoris verba falso esse interpretatum. Vid. Lückius in Comm. ad Jo. T. I. p. 545 sqq. — Denique tandem Matthaeus a Marco etiam diligentia superatur, quum hic Jesum non eodem die, quo solenniter urbem ingressus erat, e templo ejecisse, qui in eo venderent et emerent, sed postridie hujus diei hoc factum esse docet. Marc. 11, 15. Vid. Kuinoel. ad Matth. 21, 12-14.

§. 63.

Ultimum, quod laudaverim, argumentum observatione efficitur ea, quod scriptor evangelii Matthaeiani Salvatoris docendi munus per errorem exiguis Galilaeae finibus circumsepsit et Dominum semel tantum Hierosolymis versatum exhibuit, quam sententiam innuit Ven. Schulzius in l. l. p. 322. et diserte enuntiavit de Wettius V. S. in l. l. p. 178. Restat ut paucis refellamus, quae contra disputavit Guerikius in l. l. p. 32 sqq. Animadvertit Ille, extremam evangelii partem a capite XIX. non esse negligendam". Verum enimvero id ipsum mirum videatur necesse est, quod Matthaeus usque ad hoc caput rerum a Domino in Judaea gestarum atque itinerum Ejusdem Hierosolyma factorum, quae diligentissime observavit Joannes ap. et rerum narratarum spectator (c. 5, 1. 6, 4. 7, 2.), ne levissimam quidem mentionem fecit, sed potius res solummodo in Galilaea gestas tradidit. Quod deinde vero ad Matth. IX, 35. attinet, quem locum Vir Ille eruditiss. excitavit, verba: *καὶ περιῆγεν ὁ Ἰησοῦς τὰς πόλεις πάσας καὶ τὰς κώμας διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν*, ad solam Galilaeam referenda esse censemus. vid. Heydenreichium in diario l. T. III. fasc. 4. p. 391. Denique tandem asseruit Guerikius (veluti jam similiter statuit Ven. Paulus in l. Theol. exeget. Conserv. I. p. 29. 126. 159. cf. ejusd. Exegetisch. Handbuch. T. I. P. 1. p. 37 sqq.) Matthaei evangelii consilio ac scopo peculiari aptissime favere e multis Domini factis ea potissimum elegisse literisque consignasse, quae in Galilaea remotiori patrata et ea de causa Hierosolymis minus nota fuerint". At reputa quaeso nullis firmari posse argumentis, evangelium Matthaeianum nostrum lectoribus Palaestinensibus originaliter esse destinatum. vid. supra §. 13. Permulta sane conjicere licet ad difficultates, hac ex parte ortas, removendas, quibus autem mea quidem sententia, coll. Jo. 1, 35-52. 3, 22. 4, 2., nulla ratione, salva commentarii nostri authentia, penitus expediaris. Evangelii vero nostri originem ceteris synopticis, a rerum spectatoribus non profectis, consimilem statuentes rem illam affatim explanatam habemus.

Digitized by Google

SECTIO III.

§. 64.

Jam vero, disquisitione duabus sectionibus ad umbilicum adducta, restat, ut exponamus *rationem evangelii nostri apologeticam.* Canonem N. T. normam efficere ac regulam fidei christianae acquatuor evangelia canonica fundamentum vitae Salvatoris formare historicum atque eo ipso Christianismi etiam, quod quivis, Christianum se profitens, exploratum habere debet, persuasissimum est nobis. Si vero evangelium synopticorum primum a Matthaeo ap. non est consignatum, Canonis auctoritas permutetur ac minuatur necesse est. Sanioribus enim verioribusque artis criticae superioris rationibus sententia stabilitur rectissima, commentarium ab Apostolo conscriptum auctoritate uti majori, quam evangelium a viro Apostolico literis consignatum, altera ex parte, si quodcunque evangeliorum canonicorum ad Apostolum et rerum a Domino gestarum spectatorem reducere liceret, Canonis auctoritas longe augeretur plurimumque polleret. Stat itaque etiam VV. DD. sententia, auctoritatem libri N. T. cujusvis canonicam pendere ab authentia sive origine ejusdem genuina. Quemadmodum ergo authentiam evangelii Matthaei supra §. 24. circumscripsimus, ita quoque auctoritas ejus nobis erit finienda. Sectione prima probare susceperam, evangelio graeco nostro nexum quendam intercessisse cum archetypo Matthaei ap. aramaico exacte haud amplius enodandum. In hoc vero evangelii nostri nexu cum praedicatione Matthaei ap. evangelica, positam esse censemus auctoritatem illius canonicam, in eodem nexu fundamentum evangelii nostri Apostolicum. Olshausenius (in Comm. l. T. I. introd. p. 14.) scite animadvertit: „nur das bliebe noch auszumachen, ob der echte apostolische Charakter des aramäischen Evangeliums bei dem Uebertragen ins Griechische nicht alterirt sey". Cui observationi respondemus, Matthaeiano nostro indolem operis apostolici genuinam aperte multo magis esse detrectatam, quam translatione, etiamsi liberiori, ex aramaico in graecum sermonem commode fieri potuisset. Ingenue vero nobis est fatendum, graduum, quatenus indoles illa genuina inquinata sit, accuratius definiendorum subsidiis propterea imprimis nos esse destitutos, quod archetypum illud aramaicum injuria temporum nobis intercidit.

Digitized by Google

§. 65.

Ratione vero auctoritatis ceterorum Canonis evangeliorum habita, sic de Matthaeiano nostro statuendum esse censeo. Ex vetustissimis quidem temporibus evangelium Matthaei libro Joanneo, quoad auctoritatem canonicam, aequiparaverunt vel saltem proxime ad hunc accedens aestimarunt, tanquam sola Canonis N. T. evangelia ab Apostolis ipsis consignata. Verum enim vero pro iis, quae duabus sectionibus, quae antecedunt, absolvimus, hic auctoritatis ordo commentario Matthaeiano nulla amplius ratione tribuatur licet. Unicum potius evangelium Joannis primarium occupat auctoritatis locum, ex quo illud quam diligentissime examinandum esse curateque explorandum arbitramur. Quo eodem spectant verissima de Wettii V. S. verba (l. l. p. 178.): „Für die historische Kritik steht immer die Regel fest, dass die Berichte dieses Evangeliums nach denen des Joannes geprüft werden müssen", Roedigero in scripto l. p. 9. not. ††, iisdem suffragante. Quin jam Semlerus scite olim animadvertit: „Istorum (Matth. Marc. et Luc.) narrationes non possunt, quasi ordinem temporis servent, regere dispositionem nostri evangelii: *sed Joannis auctoritas sola valet.*" Ergo principatum Matthaeiani nostri prae Marci Lucaeque evangeliis necessarie addubitare debemus. Ea ipsa de causa Theilii, Viri doctiss., sententiam (in diario l. T. II. fasc. 3. p. 364.), sola Matthaei atque Joannis evangelia in exploranda Domini historia auctoritate uti plena, non possumus non reprobare. Autumamus potius, tria evangelia synoptica uni eidemque superstructa esse fundamento; veluti ergo Marci et Lucae commentarii a libro Joanneo ordine auctoritateque longe superantur, ita illud quoque consimilem in modum.[1]) Sin autem haec de evangelio nostro sententia firmo nititur fundamento, ut persuasum nobis habemus, non est diffitendum, emolumentum inde redundare tum arti criticae superiori, tum vero etiam harmoniae evangeliorum et conspectui synoptico gravissimum. Illi enim arti et in pertractanda tota historia evangelica et in singulis rebus a Domino gestis secundum IV evangeliorum relationes ponderandis, longe liberius agere licet; permultae praeterea difficultates, alias solutu difficillimae illico evanescent, si statueris, valorem Matthaeiani nostri historicum ei ceterorum synopticorum in universum esse aequiparandum. Conspectus vero synopticus, sententia nostra admissa, multo simplicior redditur.

§. 66.

Ecclesiam vero evangelicam in hac Matthaeiani nostri auctoritate canonica, quam modo indigitavimus, commode posse acquiescere, nemo, qui secum reputaverit, paene totum illud evangelium in locis parallelis cum apud Marcum et Lucam, tum apud ipsum Joannem ex

1) Cummaxime hac ex parte Ven. Schulzii principia ac rationes, in coena sacra investiganda viro critico dignissime administratas, laudaveris (vid. l. l. p. 181 sqq. et pl. al.).

Digitized by Google

parte reperiri, ibit infitias [1]). Cui argumento eo firmius insistere licet quum Joannes Ap., intima familiaritate cum Domino conjunctus, rerum narratarum testis fuerit oculatus, et Lucas pro virili sua parte factorum dictorumque Salvatoris ἀσφάλειαν eruendam atque explorandam sedulo curaverit [2]). Tum vero etiam negari nequit, haud paucas relationes non tantum Marci Lucaeque evangeliorum, sed Matthaeiani quoque, ad testes oculatos posse reduci, etiamsi singulas has partes evidenter investigare non semper valeas. In universum interea caute praemonemus, totam evangelii nostri indolem, ratione authentiae ejus internae habita, nullatenus ita esse comparatam, ut illud scriptis apocryphis aut pseudepigraphis annumerari ac talium instar unquam haberi possit. Prae se fert potius charactera temporum apostolicorum, quanquam non tam genuinum ac purum, quam Marci Joannisque evangelia. Praeterea candidissima ac vere divina Domini continet effata orationesque, quin haud raro auctaria suppeditat historiae evangelicae fide satis digna. Quae quum ita sint, nemini ne e longinquo quidem in mentem potest venire, evangelium nostrum Canonis loco, quem obtinet, privare. Posteaquam rationem Matthaeiani nostri apologeticam paucis exposuimus, Lutheri, quae huc spectant, verba laudare juvat, simplicitate probitateque insignia, (in proœmio ad epp. Jacob. et Jud.): „St. Joh. Evangelium und seine 1. epist. St. Pauls Episteln, sonderlich die an die Röm. Gal. und Ephes. und St. Peters 1. ep., das sind die Bücher, die dir Christum zeigen, und alle Lehren, was dir zu wissen noth und seelig ist."

1) Quod candide observavit Lückius in Götting. gel. Anz. 1830. nr. 48. p. 478. 2) Vid. quae rectissime hac de re exposuit Fr. Fischerus in l. l. §. 47. p. 125. cf. Paulus exegetisch. Handbuch. T. I. P. 1. p. 20 sqq.

EMENDANDA.

P. 5, l. 2. lege homonymum l. 9. lege appellato — p. 6, l. 1. lege authentia — p. 8, l. 25. lege κηρύξας — p. 20 not. 4. lin. 4. lege inscripsit — p. 25, l. 23. lege obtutu — p. 26, l. 3. lege personam — p. 28, l. 24. lege respondisse — p. 36, l. 22. lege acquiescere.

Typis Carol. Eduard. Rosenbusch.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google